

B. N. C.
FIRENZE

1 2 3 3

7





1233.7









IOHANNIS ROSSI

interioris Templi socij

BRITANNICA,

sive

DE REGIBVS

VETERIS BRITANNIÆ

VSQVE AD EXITIVM GEN^TIS,

& Saxonum imperium,

Historia versibus expressa.

Cui accessit

AD PRÆSENS TEMPVS APOSTROPHE

de horrenda in IACOBVM I. REGEM,

eorum qui se Catholicos & Iesuitas dicunt,


nupera coniuratione:

ET

De fide & antiquitate huius Historiæ
tractatus Apologeticus.

HORAT.

Ætas parentum peior Avus.



FRANCOFVRTI,

E. Officina MATTHIÆ BECKERÆ

M. DC. VII.







AVGVSTISSIMO
 ET SERENISSIMO PRIN-
 CIPi, IACOBŌ MAGNÆ BRITAN-
 niæ, Galliæ & Hiberniæ Regi, *Literatorum fau-*
tori maximo, & de Musis plusquam
optime merito; S. P.



ELIM nolim, cogor nescio qui
 (Augustissime Rex) observantiæ
 quadam ergâ vos necessitate, hâc
 scribēdi provinciam subire, non,
 vt qui alijs fælicius id possim, sed
 qui libērius fortassis id velim quam ceteri: Quod
 licet in homine ignoto audacia, in imperito stul-
 titia, in inconsulto temeritas à quibusdâ censetur,
 levius tamen mihi id ferendum est, si vestra Sere-
 nitas (prout moris est) æqui boniq; consulat. In
 proposito mihi est (Rex Illustrissime) antiquos
 Britannæ Reges Majest. vestræ ad vivum (quate-
 nus in me est) representare, quanto & veritatis
 studio, & antiquitatis reverentia id effecerim, a-
 liorum sit iudicium. vt vero ij qui delectandi gra-
 tia, in hōrtis ambulant, non omnes sed optios-
 plerumq; flores, idq; sparsim solent decerpere, sic

ego, qui Galfridi Monemuthensis historiam de
 gellis Britannorum diurna nocturna; manu sæ-
 pissimè versavi, ea tantùm excerpti, quæ præsentì
 tempori maximè conducant; Quod eò libentiùs
 feci, vt secretis quorundam susurris, qui errore
 potius, quam malitia (vt opinor) ducti, Britanos
 obscuros, ignobiles, & imbelles esse autumant,
 aliqua ex parte satisfacere videar. Mihi verò in
 mentem non venit, historiunculam hanc, qualis-
 cunq; fuerit, à capite ad calcem (vt aiunt) tracta-
 re, quippe quem latere non queat, esse laborio-
 sum & difficultatis plenum, cæptis quibuscunq;
 absolutam perfectionem addere, vti si quid Le-
 ctoris expectationi inter legendum deesse appa-
 reat, ex industria potiùs quam errore prætermis-
 sum esse existimetur. Non enim visum mihi est
 necessarium, omnes omnium fortunas & condi-
 tiones promiscuè prosequi, ne imperiti pharma-
 copolæ more, venena cum balsamis, commiscere
 videar: Habent enim & scelera suas illecebras, vn-
 de meliores quandoque animos moveant, mol-
 liores sapissimè detorqueant. Proinde ego non
 oēs sed optimos, quoad possum, Britannia prin-
 cipes iamdiu oblivionis tenebris consopitos in
 propatulum hic produxi. Quandoquidem verò
 historiarum huius consequentia eò me necessitatis im-
 pulerit, vt nec frumentum sine lolio, nec vinum
 purum sine facibus promere mihi possibile sit,
 spero id mihi vitio verti non debere, si malos in-
 terdum principes, præter meum hoc scribendi
 propo-

propositum, cū bonis videar intexere. Cum vero nec à spinis rosa, nec ab alga piscis facilè separari possit, erit mihi virtutis loco necessitas, vt bonum quod per se est, contrarij sui oppositione melius esse intelligatur. Habes interim hic (Serenissime Rex) historiarum flosculum, non hortum, minus eleganter, fateor, quā fideliter extractū, idq; carmine potius quam soluta oratione, ne actū agere videar. Materiam (vtcunq; est) G. Alfredo acceptā refero. quod autē ad huius poematis culturā attinet, id si mihi assumo, spero equid. mi id meo iure sine arrogantia posse me vindicare. Non est quòd mihi otium quis inuideat: & si temporis aliquantum à studijs utilioribus que ad privatum commodum spectent, suffuratus sim, hoc mihi in vanitatem nō imputetur. Scio esse in Academijs, & alibi, quam plurimos quos ad hoc munus obeundum expectando diu expectavi, qui elegantius & limatius subiectū hoc tractare possint, & fortassis velint, quod ego levibus (vt videre est) velitationibus & tanquam in transcurso perstrinxi, vt alios potius ad scribēdum acuam, quam vt negotium hoc, in quo iam versor, absolutè expediam. Multa (fateor) haud scio, scio tamen quæ multi nesciunt, in eo autē quod scio, si ad huius operis structuram, quod in Britānia iam de novo fabricanda Majest. vestra susceperit, vnum solum modo adferre possim lapidem, abundè satis me profecisse arbitrabor. Quam facile fieri id possit, & quā necessario debeat, quantū, peractum id pro-

fit, & infectum noceat, ab alijs admodū copiosè & luculèter alibi tractatum est, mihi tantū in votis restat, antiquos Britonum Reges eorūq; arduas virtutes tanquam à mortuis suscitare, vt nos qui iam per mille annorum seriem glorioso Anglorum nomine, sub tot invictissimis Regibus & principib⁹, tot egregijs victorijs & triumphis, tot sacrosanctis legibus ecclesiasticis & politicis vsi fuimus, non minus gloriosum fore putemus, si oblata iam occasione in nobilissimum Britannorum nomen iterum inauguremur, ne tot diplomata, tot numismata, tot in publicis comitijs suffragia, tot in priuatis cōcionibus encomia, tot in diversis libris tam domi quā foris argumenta omnino irrita fiant. Ex Majest. vestræ influētia Britannia vitam resumit, nutrias ergo tenerā hanc infantulā quæ assiduis vagitib⁹ opē implorat vestrā: Imbecillem foveas, ne languescat, vacillantē sustentens, ne cadat, & crescentem indies confirmes, ne deficiat, vt cum ad perfectioris ætatis maturitatem pervenerit, id totum, quicquid fuerit, excellentiæ vestræ ascribat. Idq; fieri necesse est, ne si fortè in cunabulis pereat hæc Infantula (quod prudentiæ vestræ est providere) planè abortiva esse videatur.

*Majest. vestra diu multumq;
deditissimus*

Iohannes Rossus.

AD

AD REGEM.

Magnus es, & magnis nomen virtutibus aequas,
 Vt decus ex meritis, sit decor in titulis:

Non, quia sit magnus, Phœbum laudamus, at ergo

Quod mundum radijs ornet vbiq³ suis.

Olim ego connubium tractavi carmine vestrum,

Regnorum fieri iam peto coniugium.

Vtq³ erat id felix, sic hoc fore spero, secundet

Hac Deus: vt fluat hinc pax, & vtrinq³ salus.

DE ALBIONE ET ALBANIA.

Scotia ab antiquo dicta est Albania: sic &
 Albion à proavis Anglia dicta fuit.

Ergo quid impediât quin Scotis Anglia, & Anglis

Scotia, gens eadem sit sine dissidio?

Nomine conspirant Albania & Albion, at si

Re quoque convenient Albion òl Cœgerit.

Vnica gens sit, & vnica mens, Rex vnicus, & sit

Vnica lex, vnum fœdus, & vna fides.

LIBER AD LECTOREM.

Si quis de Britonum gestis, vel origine querit,
 Me legat, & breviter, quanta fuere, sciet:

Expeditam paucis, vt non tibi tadia fiant,

Gesta domi qua sint, quaq³ fuere foras.

Sub titulis antiqua novis hic gesta Brigantum

• Bella, acies, pacem, fœdera, festa, cano.

DE BRVTO ET CORENÆO.

Post domitos Gracos Pandraso Rege, Aquitanis
 Insuper evictis, cum duce Gressario,

Brutus adhuc dubius, quibus in regionibus orbis
 Sit sibi cum socijs gens habitanda suis,
 Consultit intactam (cui fert holocausta) Dianam;
 Sicq; ait: (oblatis in sua vota sacris)
 Diva, triplex calis, terraq; Erebiq; potestas,
 Dic vbi terrarum nos habitare velis?
 Illa suis precibus non surdam accommodat aurem,
 At cito responsum Delia tale dedit.
 Insula in Oceano est, qua Sol declinat ad Arctum,
 Albion ex albo lictore, dicta fuit.
 Ito bonis avibus, sedes ibi, Brute, quietas
 Pone tibi, fies gens populosa satis:
 Hic tibi sunt pecudes, hic pascua, prata, metalla;
 His ita responsis (vt voluere) datis,
 Brutus & armipotens Coreneus in Albion vrgent:
 Deq; suo nomen nomine terra capit:
 Terra ferax, sed quam tantum coluere Gigantes
 Corporibus grandes, & feritate truces:
 Hos tamen extirpat fortis Coreneus, ab alto
 Cognagot in pontum precipitanter agens.
 Vrbs struitur, structam patrio de nomine Brutus
 Esse novam Troiam iussit, & inde fuit.
 Post Ternovantum, Cairludd, Londonia: Brutus
 Mortuus est, & quam struxit, in vrbe iacet.
 Vrbs speciosa situ, Borealiter aspicit arva:
 Hac placidas silvas, & iuga montis habet:
 Cui iacet ex Austro facilis descensus ad vndas,
 Vnde suas sordes expuit inter aquas.
 Diligit hanc, Thamcsis pelagi pulcherrima Nympha,
 Sape dat amplexus, oscula saepe petit.

Utq; novam soveat, quam caste diligit urbem,
 Assidue binas fertq; refertq; vices.
 Vicinos sinuosa suis anfractibus agros
 Irrigat, (incomptis gratum opus Agricolis.)
 Quotidie geminans per pratæ virentia cursus,
 Vnde parit violas, lilia, fraga, rosas:
 Finibus è proprijs fruges, & ligna ministrat,
 Ex alijs quid non commoditatis habet?
 Vina per hanc Gallus transportat, Gracia mulsum,
 Dania fert piscem: Russia mella, picem:
 Sacchara fert Afer; pretiosas India gemmas,
 Balsama, thura, piper; Persia holosericum.
 Quicquid habet vel dives Arabs, vel America felix,
 Quicquid in Europa venditur, aut Asia,
 Huc ad amatricem Thamesis fert navibus, ex quo
 Emporium mundi fit nova Troja, brevi.

DE LOCRINO, ET GVENDO- lænæ repudiatæ vindicta.

Non moritur Britonum, post Bruti funera, virtus,
 Maior in heredum posteritate fuit.
 Diviso imperio, cecit pars prima Locrino,
 Parsq; Albanæ, pars quoq; Cambre tibi.
 Ex Albanæ dicitur est Albania, quem Rex
 Hunnorum invadit, fundit & interimit.
 Hunnorum Regem, Cambro auxiliante, Locrinus
 Mergit in aquoreis (vnde vocantur) aquis.
 Estrildemq; capit, capiturq; Locrinus amore
 Estrildis, victor vincitur à spolio.

Guendolana ducis Coronei filia, Regi
 Nuptu pulchra data est à patre, Rex renuit.
 Eminent Estrildis, præ qua Regi altera vilis
 Visa fuit, graviter sustulit hoc genitor,
 Utq; erat impatiens, cum Rege exposulat, ergo
 In Bruti auxilium vulnere tanta tuli?
 Ut sua me proles iam spernat, & audeat Humbri
 Reliquijs sobolem posthabuisse meam?
 Ast age, si placeat, (dextra vibravit & enssem)
 Non impunè tamen, si facis illa, feres?
 Ni capiat prolem, Regi fera bella minatur,
 Qui metuens, plus quam motus amore, minas,
 Connubio capit hanc, & fingit amare quod odit,
 Et quod amat nimium, spernere se simulat.
 Interea illiciti flammæ alit intus amoris,
 Id quoq; clam socero ne videatur, agit.
 Nam spelunca procul sit subterranea, qua se
 Semper ad Estrildem contulit, at tacite.
 An timor an pudor hoc produxerit, haud scio, sed quod
 Esse nequit caste, cautius esse decet.
 Invitat vitium toleratio publica, virtus
 Nil gravius, quam cum despiciatur, habet.
 Abdita spelunca penetrat sine teste Locrinus,
 Creditur hic nullos diluisse dolos.
 Utq; sit ingressus sine suspitione, videt æ
 (Nescio quid) dijs hic sacrificare suis.
 Ingeniosus amor species præ tendit inanes,
 Ut sibi furtivam conciliet Venerem.
 Estrildis gravida est, & Guendolana: Madanum
 Hec parit: Estrildi nata Gabrina fuit.

Dux viso hoc moritur, cuius post fata, Loctrinus
 In Guendolanam sevit, & hanc reijcit.
 Inq, vicem pellex subiit, tadasq, iugales
 Quas Rex cum licita coniuge rupit, habet.
 Consultor malus est, & Custos peior amoris
 Vsq, metus, simul haud stant amor atq, timor.
 At nimis indignans hoc Guendolana, recessit,
 Et furit, vt catulis orba leena suis.
 Cornubiæ multo stipat se milire, partes
 Inq, suas patria tota iuventa venit.
 Conveniunt acies ad Stura flumen, & illic
 Conferitur medio pugna cruenta vado.
 Hicq, Loctrine iaces ictu transfosse sagitta,
 Et sceleris pœnas multa iuventa luit.
 In fluvium Estrildis cum pulcra prole, Sabrina
 Precipitata, brevi coniugio fruitur.
 Vsq, hodie flumen (ne tanti oblivio stupri
 Esse queat) nomen suscipit in se suunt.
 His ita compositis, sua Guendolana resumit
 Sceptra potens: Iustus dat sua cuiq, Deus.

DE MADANO, MEMPRICIO, E-
branco & Bruto secundo.

Post Guendolanam regnat Madanus, & illi
 Succedit patrio Mempricius solio.
 Vir tantum feritate potens, virtutibus hostis,
 Cui gravius nihil est, quam meruisse bene.
 Hic alios, lupus hunc venantem devorat, & qui
 Tam serus est alijs, prada fit ipse feris.

Sic

Sic voluit Nemesis, quo peccat plectitur, vt non
Conyiciat vanas Numinis esse minas.

Mempricio caso diadema capeſſit Ebrancus,
Optimus iſte puer, peſſimus ille pater.

Iſte ſua reparat labeſ virtute paternas,
Alteriuſq; odium ſedat amore ſui.

Eſt locus ad Borea qui ſpectat climata, cuius
Prata frequens vndis alluit Oſa ſuis,

Hic proprio celebrem de nomine condidit urbem
Id quod Eboracum tempora ſera vocant.

Alter Hyperboreus longe q; remotior oris

Eſt locus, hic Aldud fundat & Agnedium.

Quodq; puellarum Caſtrum iam dicitur, illic
Struxit, vt eſt hodie cernere, ſi quiſ adit.

Quod niſi per portas non eſt penetrabile, ſic nam
Mœnia prærupti vertice montis habet.

Imperio felix, facundus ſemine, ſortis

Milite, ſtructuris ſplendidus, are potens,

Nobilis Ebrancus fatiſ conceſſit, & illum

Subſequitur Brutus filius, huncq; Leir.

DE LEIRO PRIMO.

Carleirum ſruit iſte Leir, quo tempore ſanctum
Templum Hieroſolymis ædificat Solomon.

In pacem incumbit totus, ſed ſegnius, vt quem
Publica privatſ poſthabuiſſe putes.

Segnitie populo perſpecta, murmur ubiq;

Ingruit, & paſſim fama per ora virum

Sparsa volat, regni moderamina publica Regem

Negligere, arbitrio reſ trutinare ſuo.

Quiq;

Quisq; gerant sese proceres, curare supinè:
 Et studijs requiem praposuisse suam.
 Hac & plurà levīs circumfert fama, quibusdam
 Iungere quæ veris plurima falsa solet.
 Hys tamen excitis, oritur discordia, quàm plebs
 Aggravat & iuste proyicit id fieri.
 Imperij neglectus habet quid nescio damni,
 Contemptus, vereor dicere, quid miseri.

DE HVRDIBRA ET BLADV- do alias Baldudo.

Accensis belli facibus diadema Leirus
 Liquit, & extollunt Hurdibrā in imperium.
 De quo nil superest dictu memorabile, sed quod
 Cairguennam struxit, quæ modo VVintonia est.
 Primaq; Cairkenna fundavit mœnia, quæ nunc
 Est tua metropolis (Cantia) clara situ.
 Sedatis moritur bellis, pacemq; reliquit
 Baldudo, donum non mediocre, suo.
 Imbiberat claris Musas Baldudus Athenis,
 Doctus, & arcanis artibus egregius.
 Solis ad Occasum quâ se sub vespere laxat
 in Thetidis gremium, condidit ille Badum.
 Balnea sulphureis illic calefacta metallis
 Ægrotis, claudis, decrepitisq; dicat.
 Hæc q; vovet cura divina Palladis, vt sub
 Auspicio tanti Numinis esse queant.
 Dedicat hic hymnos, & inextinguibilis ignis
 Perpetuas flammās (sacra Minerva) tibi.

Rebus

Rebus at intentus magicis, studet ille volare,
 Ac humeris plumas aptat ad ista leves.
 Inde iter at hereas temerarius vrget in auras;
 Provocat & volucres (sic sibi fidit) aves.
 Nescius Icaria mortem vitare ruina,
 Vel Phaethontæis fata cavere malis.
 Decidit ex alto, delubra in summa, cadensq;
 Membra in frustra sui pondere quassa secat.
 Et bene: per totum nam Necromantia Regnum
 Repserat, exemplo tunc malesuada suo.

DE CORDELLÆ PIETATE IN
 Patrem Leirum secundum.

Chara fuit Generilla patri, & Regana Leiri
 Delicia, regnum dividit hisce suum.
 Quippe patrem fingunt ardentem amare, Leirus
 Credidit (vt nimis est credulus omnis amor.)
 Confectum senio tamen hunc diademate privant,
 Hospitio prohibent, exiliog; premiunt.
 At Cordella, suum quæ fingere nescit amorem,
 Displicuit graviter simplicitate patri.
 Hennimo Regana duci, Genorilla Maglanno
 Nubit, Cornubiæ is, Scotia hic est dominus.
 Tertium Aganippus ducit Rex Gallicus, at cui
 Nulla fuit thalami dos, nisi dos sit amor.
 Sola viro est felix, sed regno, patre, sorore
 Infelix, (ita si tale quid esse potest.)
 Deserit hanc genitor, qui post desertus & ipse,
 Ex alijs patitur, quod facit ipse, malum.

Privatus sceptro, breuiatis inde ministris.

Indiget hospitio Rex, pater, isq; senex,
Vestibus attritis, non vt qui fingeret esse
Se miserum, cum non sit, sed & illud erat.

Sic inquam senio, sic paupertate laborans

Rex (at mendicus) Gallica regna petit.

Vt patris aduentum Cordella intelligit, ô quam

Gaudet! & ex animo gestit adesse senem!

Fluctuat huc illuc varijs mens motibus, vt cui

Gaudia cum tacito mixta pudore forent:

Ardet adire patrem, mox verò accersere mallet,

Sed quod posterius pectore voluit, agit.

Magnificas mittit vestes, celeresq; quadrigas,

Et, qui stiparent (vt decuit) famulos.

Sic restauratus Rex sese accingit ad aulam,

Et cupit amplecti quam prius abnuerat.

Præteriti Cordella memor ne sit, timet, & non

Vana timet, nam sic causa timere fuit.

Illæ (quod est verè generosum) cuncta remittit,

Vtq; oblita rei, tale nihil memorat.

Conveniunt, lachrymis miscentur & oscula, quales

Sæpe cadunt imbres, sole micante, leues.

Post epulas, genitor vindictæ haud immemor, arma

Expetit, & nata sollicitavit opem.

Quid multis opus est? verbum satis esto; Leirum

Instruit armatis, regnaq; restituit.

Nata reiecta patrem recipit, dilectæ repellit:

Quam fovet, illa fugat; quam fugat, illa fovet.

Totus ad hanc mundus convertat lumina, maior

In patrem pietas non fuit, est, vel erit.

FERREX ET PORREX.

Civiles taceo strages, cum Ferrice Porrex
 Quas tulit, & quanto sanguine pugna fuit.
 Inq; solus prolem quas cades dira Videna
 Struxerit, ad largum dicere Musa tremit.
 Sunt clandestino magis apta silentia bello,
 Lectori nihil est inde placere gravi.

DVNVALLO MULMVTIVS.

Vndiq; pugnatur vario discrimine Marti,
 Nunc cecidere hostes, nunc cecidere sui.
 Dvnvallo interea casos insignibus hostes
 Nudat, & exutis induit ista suis:
 Fertur in hostiles acies hostilibus armis,
 Ut non dignosci civis ab hoste queat:
 Irruit in Reges, perijt Scaterius illic,
 Hic Rudaucus, & hic tota animosa phalanx.
 Multa peregregie, sed nil praestantius, egit,
 quodve viro tanto dignius esse queat.
 Quam leges statuisse, quibus Respublica possit
 Pace frui, faciat iusta, nefasq; premat.
 Lex vbi sceptrum tenet, Deus imperat, ast vbi praesunt
 Passio & affectus, bellua sceptrum tenet.
 Non populi pro lege furor, Regisve voluntas
 Sufficit, at quicquid lex moderata iubet.
 Gens sine pace nequit, nec pax sine legibus esse
 Incolumis: lex est regula Iustitiae.
 Semper idem loquitur, nulli favet, invidet, odit,
 Nil metuit, sed lex omnibus est eadem.

Que

*Quæ neque Cognatum, nec amicum agnoscit, at æquis
 lancibus, & magnum ponderat, & minimum.
 Non obscura nimis quasi Sphinx anigma tulisset
 vocibus involvens qualibet æquivocis:
 Nec proluxa nimis tanquam Labyrinthus, ut huius
 principium aut finis discrepet à medio.
 Prologus huic desit, iubeat non suadeat, ut quod
 præcipit, obsequium grandius inde trahat.
 Sint pauca leges, sed quæ bona publica spectent,
 et valeant potius pondere, quam numero.
 Ut solet in dubijs inter convivium cœnis,
 multa gravant stomachum fercula, pauca iuvant.
 Sic hebetat mentes legum confusio, quæ si
 sint pauca & faciles, nausea nulla foret.
 Ferre, labor levis est; sed si constanter, ut usus
 exigit, has serves, est operæ pretium.
 Principijs istis fretus Mulumtius, ut cui
 nota sit in bello gloria, pace quies,
 Instituit leges: quas pro brevitate remittit:
 doctius hæc Gyldas tractat, & ergo legas.*

IN BELINVM ET BRENNVM ET
 de Connivennæ in filios admirabi-
 li virtute.

Bellinum Brennus, Brennum Bellinus in arma
 urget, & invidia motus uterq; furit.
 Pace tamen facta, contingit Scotia Brenno:
 Lægria, Cornubia, & Cambria fratris erant.
 Non tamen in Regnis desunt, & Regis in aula
 præcipud, quibus est pax odiosa nimis.

Hij (quia crabrones placet irritare, lutosi
piscariq; vndis) nil nisi bella student:

O hominum damnosa lues, quæ sanguine gaudens
intestina sua viscera matris edit!

Inquit adulator, quæ tandem ignavia (Brenne)
te capit? an fratri subditus esse velis?

Nonne tibi est eadem mater? non est pater idem?
an tua fraterna est nobilitate minor?

Adde, quod in bellis expertus es, anne Chenulphum
viceris, & fratri bella movere times?

Ergo agè, rumpatur fœdus; te negligis; annos
ille raos spernet? cum sis ambo pares?

Non impune ferat: quid stas? pars maxima facti est
audere, hoc vestrum est; cetera sortis erunt.

Si victor fueris, tibi tota Britannia cedit,
non sequitur miseros perfida turba duces:

Si victus fueris, magnis tamen excidis ansis,
& damnum reparat gloria, fama scelus.

Norvegiam fac classe petas, ibi filia Regis
sponsa tibi dabitur, ni tibi deficias.

Consilio Brennus nimium confidit, adivit
Norvegiam, soboles Regia, sponsa datur.

Alterius lingua ne tradas pectora, tutum
Consilium nemo, ni dare possit, habet.

Coniugio facto Brennus cum coniuge, classem
armat, & instructus milite, vela dedit.

Æquora vasta fecat, sed dum fecat æquora, Brennum
Dacorum princeps navibus insequitur.

Coniugis hic Brenni nimio flagravit amore,
inq; virum totis viribus invehitur.

Vndiq₃ fervescit navalis pugna, puellam
 quam petit, invito coniuge Dacus habet.
 Mox tamen adversus inimica in lit tora ventis
 pulsus, ad exitium pane redactus erat.
 Interea valido cessit desert a Belino
 Scotia, dum tantum Brennus amare studet.
 Quin simul ac Brennus sensit sua regna Belino
 cessisse, & pulchram coniugem ab hoste rapi,
 O quam se lacerat cruciatibus! inq₃ Belinum
 irruit: at multo sanguine victus erat.
 Inq₃ fugam versus Gallos petit, hicq₃ maritam
 ex Allobrogum stemmate, Brennus habet.
 Vix (Hymenae) tuas ritus persolverat, & non
 Coniugis (vt decuit) munere functus erat,
 Quin reparat vires, bellumq₃ redintegrat: vt mox
 vindicet indignam, quam tulit ante, fugam.
 Instructa est acies, odium corroborat armis,
 & Britonum grandi iustora classe premit.
 Obviat huic frater, sed concurrentibus aliis
 sese interposuit & onnivienna parens.
 Inter vtrasc₃ acies stetit imperterrita mater,
 atq₃ ait (o nati) sistite quaeso manus.
 Nunc huc, nunc illuc vertit, nunc anxia Brennum
 nunc quoq₃ Bellinum, nunc & vtrosc₃ rogat:
 Pectora discinxit, nudavit & vbera Brenno,
 ac ita (mi fili) hac intuearis, ait.
 Per nostrum hunc vterum, qui te produxit in orbem,
 queq₃ dedi labris oscula saepe tuis,
 Perq₃ mea hac qua te lactarunt vbera (Brenne)
 coniuro (si quid flectere mater habet.)

Solve tuas acies; moveantur castra; Belini
 fratris amicitia, iungito, quaeso, tuam.
 Nam quid agis? fratrem, quia regnat, Marte laceratus?
 non senior natus est? regnaque iure tenet?
 Quod victus fueras & fratri terga dedisti,
 (pace tua liceat dicere) culpa tua est:
 Non bellum intuleras? non vinci est alea Martis?
 non quacumque via est expedienda salus?
 Quod tua Bellino redijt Northumbria temet
 absente, in causa est, nonne, quod arma capis?
 Cur tamen hoc? regnum non detinet, at tibi servat:
 nec quicquam, nisi quod deseris ipse, tenet.
 Causa fuit, sine qua non Allobrogius esses
 dux, vel (ut es) patria; milite, & ere potens:
 Dij tibi propitij fratre adversante fuerunt,
 & nova neglectis dant tibi regna tuis.
 In melius fortuna movet, miserosque secundat,
 qui nimium felix est, habet unde cadat.
 Haec & plura refert genetrix: is poplite flexo
 Procubuit matris pronus ad usque pedes.
 Quicquid & in pacem genetrix rogat, annuit, iram
 obsequijs, odium vicit amore suum.
 Conveniunt fratres; exercitus undique, mutus
 adstitit & tacitus; murmur ubique, fuit:
 Alter in Alterius longis amplexibus haeret,
 crebraque commutant oscula utrinque, data.
 Consiliumque incunt uti presentibus armis:
 & quae vix tutum est ponere, signa sequi.
 Nec mora, coniunctas in Gallica regna phalanges
 accelerant, spes & gloria calcar habent.

*Spes etenim (nec vana) fuit subvertere Gallos,
quos facile victos sub ditione trahunt.
Insula vicinis sic auēta Britannia Gallis,
audet & ad muros pergere (Roma) tuos.
Quo feror? vt breviter perstringam, dr alia Brenni,
Gest. aq. Bellini, Roma subacta refert.*

MARTIA.

E Gregias patria dat leges Martia, quas &
postea Aluredus Rex stabilire studet.
Hæc, quia sunt variæ, non est in mente referre,
plenius ista frequens lectio suppeditat.

CRVDELITATIS PÆNA IN
Morindum.

S I non crudelis nimium, Morinde fuisse,
de te, qua taceo, multa canenda forent:
Sed quod quisq. facit, patitur; tu polluis omnes
sanguine, te vivum bellua seua vorat.

DE VIRTVTIBVS GORBONIA-
ni filij Morindi.

A T mibi crimen erit, reliquos qui carmine tracto,
si taceam laudes, Gorboniane, tuas.
Mos tibi semper erat Solis sub lumina prima
assiduas celo sacrificare preces:
Militibus largus fueras, vt non opus esset
illicitis sibi quid suppeditare modis.
Multa dabas, sed non quo dandi, dando, facultas
desit, vt extinctus saepe calore calor.
Agricolis charus, dominorum dura coercens
franx: bonus civis, quis colonus erat.

*Pacis amans, ad bella potens, in virisq; fidelis,
 & patria potius, quam tibi, diues erat.
 Pace (quod est Regis) nosti moderatius vti,
 vt fieret populus ditior inde tuus.
 Deterior bello non pax erat, vt solet esse,
 quando minor magno est prada, bonusq; malo.
 Sic lupus in vitulos, sic vulpes scivit in agnos:
 haud furit in pulices torva leana leues.
 Gens tunc dives opum, grani, pecudumq; virumq;
 floruit, & populi nulla querela fuit.
 Tunc viguit virtus, vitium sine laude recessit,
 grata fuere bonis sceptras, severa malis.*

DE ELIDVRI IN FRATREM
 Archigallonem pietate.

Quid fraterna potest pietas, Elidurus ad vnguem
 explicat, exemplum Iustitia & fidei.
 Impius huic frater fuit Archigallo, remissus
 imperio, sceleris fautor, honoris iners.
 Alterius cupidus fortuna, dum sua vastat,
 opprimit ingenuos, promovet are malos.
 Quem Regni procures tanta levitate regentem
 imperium, folio deposuere suo.
 Inq; locum statuunt Elidurum: regna petitus
 invitusq; capit, non cupit ista tamen.
 Quod renuit vitis, tribulus petit: hinc fit vt alto
 saepe in honore mali sint, sine honore boni.
 Rex patria servit, populo licet imperet, & quod
 imperij tribuit gloria, tollit onus.

Imperium labor est, non est regnare voluptas,
 Rex bonus est pastor, Rex malus, ipse lupus.
 Pauca voluptati dū tradunt sceptrā, labori
 multa, nec in magnis est statuenda quies.
 Quam tractare nequit, cupit Archigallo coronam,
 quam poterat tuto frater habere, fugit.
 Exiit inde sibi, ut fratri diadema resignet:
 est fortuna frui, sed dare Regna, decus.

MYLTORVM REGVM PRÆ-
 teritio.

Hic ego sponte aliquos sicco pede transeo Reges:
 & placet, Authorem, sic reticendo, sequi.
 Quos (quoniam fecere nihil memorabile) prorsus
 involvam tenebris (si queo) Cimmerijs.
 Fortè (nec insulse) tamen inquiet vnus & alter,
 nonne bonum faciunt, non faciendo malum?
 Huic ego (si quis erit qui sic obiecerit) inquam,
 maxima virtutis laus in agendo valet.
 Exigua est virtus vitij privatio: donum est
 latronis, vitam, non perimendo, dare.
 Principis haud laus est minimè faciendo mereri,
 privatum & Monachum talia fortè decent.
 Principis est servare fidem, facere omnia pulchrè,
 magnificè, iuste, fortiter, & validè:
 Imperij fines augere, & pace tueri,
 extirpando malos, substituendo bonos.
 Sit populo Cynosura suo, sit legis Asylum,
 virtutis columen, Relligionis apex.

DE BRITONVM POTEN-
tia & fortitudine.

Q Vi veteres Britonum Reges negat esse potentes,
ignorat vires (Cassibelane) tuas.

His tibi terga dedit Casar, dum (quod nequi hostis)
victus es Androgei proditione tui.

Hinc senior frater Luddus, de nomine portam
Solis ad occasum Londonia posuit.

Androgeus prima est, Tanantius altera Luddi
progenies, Regnum his post sua fata vovet.

Dum tamen atatem poterunt super re virilem,
Imperium patruus Cassibelanus habet.

Contigit Interea: victis à Casare Gallis
ad Rutinorum litora Casar adit.

Prospicit hinc albas Britonum per litora rupes,
multaq; de patria querit, & indigenis.

Quos simul ac Britones, à circumstantibus esse
noverit, his verbis Iulius orsus erat.

Romani & Britones Trojana è stirpe profecti
ambo sumus, nobis vna propago fuit.

Post Troja excidium semper lachrymabile, nobis
inclytus Aeneas gentis origo fuit.

Quartus ab Aenea succedit Brutus, is huius
gentis (vt Aeneas Hesperiae) pater est.

Sunt tamen hi Britones nobis (ni fallar) in Armis
dissimiles, quamvis sanguine contigui.

Quip e quibus nec Martis opus, nec gloria belli
vlla sit, ignotos nullus in arma vocat.

Axe sub Arctoo latitant, vbi plaustra Bootes
vrget in immensi faucibus Oceani.

Quorum hebetat mentes, & corpora frigore stringit
 impatiens Boreas, & glacialis hyems.

At quos Phœbus equis cursum heragendo per orbem
 vix videt, obscuris sic latuere casis.

Quos ultra Oceanum despectos expiit orbis,
 ac si digna minus gens foret orbe frui.

Quin si pars orbis gens ista umbratilis esset,
 non hodie nobis præda futura foret.

Vincuntur tentando, modo his intendere bellum
 dedecori non sit, (Martia Roma) tibi.

Nos, qui Germanos, Cimbro, Gallos & Iberos
 Illicos Parthos vicimus, atq; Dacos

Nos, quibus à Tanæ ad Nilum subiungitur orbis
 Nos, quibus auditis terra fretumq; tremis,

Nunc miseros (vt sunt) Britones in bella vocamus,
 hinc mihi, post totidem gesta, coronis erit.

Inde procul dubio spolia ampla, & pulchra feremus,
 vt fieri Latium ditius inde queat.

Sic aquila muscis, sic muribus arma leones
 infertis spes est vincere posse tamen.

At quoniam nulla est miserorum in sanguine fama,
 nec quid, in expertos vincere, laudis habet.

Ergo mihi visum est Britonum diplomate nostro
 insinuando minas, sollicitare fidem.

Vt qui non fuerint pugnaces, cedere possint,
 vel saltem interitus anticipare fuga.

Dixit: & ad Britones scribit, vel cedere, vel si
 fortè recusarent cedere, vt arma parent.

Quanta sit in toto Romana potentia mundo
 addit, vt hos stimulet ferre tributa timor.

CASSIBELANI AD CAIVM IV-
lium Cæsarem Responſio.

Gloria Romani populi (invictiſſime Cæſar)
eſt, vt ais, (ſateor) magna, nec invideo.
Hoc tamen admiror, quod Cæſar, quem timet orbis,
non dedignetur viſere nos Britones,
Nos extra mundum poſitos, quos Phæbus ab alto
non videt, indociles, militiaꝝq; rudes.
Nos equidem talem non exſpectavimus hoſtem,
ex quo tantus erit congregientis honor!
Hæc conſanguinitas noſtra eſt? hæc illa propago?
Hoc me ab Aenea Dardanidum genus eſt?
Quid petis hic Cæſar? nec Arabs, nec Perſa, nec Indus
ad tua vota tibi ſuppeditare queunt.
Hic nihil eſt niſi triſtis hyems, niſi frigus, & umbra
membraq; perpetuo mortificata gelu.
Hic nihil eſt veſtra ſatiare Cupidiniſ aſtus,
hic nulla eſt terris eſſodiuntur opes.
Hic ubi ſe recreet Romana Iuventa, nec vrbes,
nec Circi, nec ſunt Amphitheatra foro:
Vincere nos miſeros (ſicut ſumus) haud tibi Cæſar
eſt decori, nec quid commoditatis habet:
Et vinci à nobis erit indelebile Roma
dedecus; à muſcis exuperari aquilas?
Abſit: at ignoti dubia eſt victoria belli;
ancipites caſus alea Martis habet.
Et tibi ſpes vana eſt, vbi nos tibi cedere ſperas,
non ſumus in timidam gens nimis apta fugam.
Nos libertatem tutabimur atq; Penates.
indocti Auſonium nempe ſubire iugum.

Non ad eò facile tentando vincimur, id, si
 nos premis invitos, experiendo scies.
 Hac tibi sufficiat (Caesar) responsio: Nos nec
 posse pati: nec vim velle movere: Vale.

CÆSARIS ET CASSIBELANI congressus.

His ita responsis, Romana per Agmina rumor
 magnus it, in rebus qui solet esse novis;
 Caesar ad arma vocat, cinguntur ad arma cohortes;
 Alter, ut ingressum Caesaris impediatur,
 Accelerat magnas ad proxima littora turmas:
 tantum aberat, Britones quarere velle fugam.
 Caesar, ut aspexit numerosam in littore gentem,
 utq, suis galeis, & micuere comis:
 Tunc mentem variare suam de gente Brigantum
 cœpit, & erroris panituisse sui.
 Spem puduit frustra sibi proposuisse, furorem
 fert pudor, & gelidus possidet ossa tremor.
 Sed ducis est, ut cunq, furit, cohibere furorem,
 & quantum poterit dissimulare metum.
 Id satis expertus Caesar, ne discrepet à se,
 ore tenus Britones (ut prius) extenuat.
 Vos (ait) ô socij quos Caesar semper in armis
 consortes oneris, sicut honoris, habet,
 Per mare, per terras, mecum mala plurima passi,
 iam nolite meis rebus abesse bonis.
 Quiq, triumphatum regitis sub Cesare mundum
 hunc Isthmum reliquis addite quaeso locis.

Cerni-

Cernitis hic multo confertas milite ripas:
 forsa & hinc visa est gens o ulosa fore.
 Non ita: contrahitur gens tota in litore regnum
 nudavit populo rima marina suo.
 Armantur verubus, cacabisq₃, quod eminus istos
 emittit radios, nil equidem est aliud.
 Ultima Romanis regio hæc est linea, nec quid
 ulterius victor quod sibi speret, habet.
 Turpiter extremo ne deficiatis in actu,
 finis enim reliquum laude coronat opus.
 His dictis sonare tuba, lituig, canori,
 & iuxta Britonum littora vela movet.
 In Thamefis greinio naves exenterat: urbem
 tu Dorobellensem Cassibilane tenes.
 Concurrunt veluti duo fulmina vtrinq₃: halanges,
 & vario nutant praelia Marte diu.
 Nunc huc, nunc illuc partes se versat in omnes
 Iulius, auxilijs romptus adesse navis.
 Nunc Britones, nunc Romanos vicisse putares,
 dumq₃ tremis plagis vndiq₃ terra datis.
 Nennius e turmis rumpens, & Iulius a quo
 Marte, procul osita congregiuntur ope.
 Casside labantem de summa Caesaris ictum
 Nennius erecto sustinuit cly eo:
 Attonitus tamen & vacillans ondere læga:
 (non est Casaream tam leve ferre manum)
 Infixum clypeo quem Caesar liquerat, enseni
 saucius extraxit Nennius, ut potuit.
 Hunc nactus, medios fertur furibundus in hostes,
 cui, rimum occurrens tu Labiene iaces.

Hinc magis atq; magis declinavere cohortes
 Casarie, inq; fuga stat sua cuiq; salus.
 I, se etiam Casar spretis dat terga Britannis,
 & Britones, quos sic temserat ante, timet.
 Hunc Dominum mundi miseris mala tanta minantem,
 non s' uduit vitæ consuluisse fuga.
 Transvolat ad Gallos inglorius: utq; cadentem
 accipiant, donis curat, ut alliciat.
 Blandit ijs lenit, lingua Leo balat ovina,
 omnia promittens omnibus, ut placeat.
 Felicem metuit vulgus, calcatq; iacentem,
 in miseris rarum est rebus habere fidem.
 Res est difficilis populum revocare relinquit sum,
 Id quod apud Gallos calluit instabiles
 Casar & ergo levem demulsi munere plebem:
 hinc s' lacet, hinc animos placat ubiq; feros.

DE CÆSARIS SECUNDA EX- peditione in Britanniam.

P Hæbus adhuc totum vix bis peragraverat orbem,
 nec renovat decies bis soror alma vices,
 Cum plaga accepta reminiscens Casar & ardens
 expurgare suam Marte feroce fugam.
 Quæssat us re arat, re aratas milite, naves
 instruit, & Britonum ditiora rursus adit.
 Intere à fixos Thamiè sino in flumine palos
 obduxit liquidis Cassibelanus aquis.
 Progreditur Casar securus, & aquora sulcat
 navibus, ignarus, qui latuere doli:

Machina preualuit, sic vis superatur ab arte,
 ignotusq; premit nauta repente sudas,
 Maxima pars clasſis palis elisa fatiſcit:
 naufragio Caſar territus ipſe ſtetit.
 Hortaturq; ſuos Thameſina ad littora naves
 ducere, qua laceras evacuare queant.
 St at ſua pro muro Gallis audacia, virtus
 dedecus in ſtimulum ſtrenua ſemper habet.
 Sed neq; Gallorum numerus, nec tela, nec ignes
 hoſtibus averſo preualuere Deo.
 Hos iterum Britones (ſicut prius) vndiq; cadunt,
 & vix, incolumis qui ſtetit, vnus erat.
 Ipſe volens nolens iterum perterrita Caſar
 terga dat, & vinci ſe potuiſſe probat.
 Inde Morinorum fines petit, hic ſibi caſtrum
 munitum varijs ſtruxerat ille modis.
 Nam metuit Gallos victo fore (vt ante) rebelles,
 rarus in arumnis conciliatur amor.
 Tutus in hoc caſtrum ſeſe ſociosq; recepit,
 praſidijs vbi ſe fortificare ſtudet.
 Dum melior fortuna fidem praſtaret: & inde
 ſape minando preces, fertq; precando minas.
 Interea Britones celebrant per regna triumphos,
 & varijs ſpolijs mixta trophaea gerunt.
 Emeritus miles, nunc oſtro fulget & auro,
 & niveis fertur Caſſibelanus equis.
 Inde ſacris factis ludos in Martis honorem
 inſtituunt: plena eſt tota palaeſtra iocis.
 Cominus hic gladio, iaculo ferit eminus alter,
 dimicat hic baſta, pravalet illa pila.

Athletas inter primos stat clarus Hireldas
 formosus iuuenis, Regius isq; nepos.
 Hunc ferus Euclinius luctantem cadit, & illi
 vindictam sitiens amputat ense caput.
 Androgei fuit iste nepos, crudelis, & audax,
 fatalis patriæ, & natus ad exitium.
 Cum semel id facinus Regis pervenit ad aures,
 Rex furit, & quæ sit debita pæna, studet.
 Præcipit Androgeo, in lucem proferre nepotem
 Euclinum: id fieri non sinit Androgeus.
 Cornubiam invadit Rex indignatus, & vrbes
 Androgei, ferro vastat, & igne cremat.
 Qui nec ferre potens, nec propulsare paratus
 irati Regis fulmina, quærit opem.
 Supplicat auxilium bis victi Cæsaris, & quod
 vi nequijt, fieri proditione parat.
 Cæsar ad hæc pronus, sed tardus credere, causam
 Cur fugit, & quid opem sperat ab hoste, rogat.
 Omnia narrando nimis aggravat alter, & ultra
 se patriam velle, & tradere posse vovet.
 Vota viri & mores sic expiscatus ad vnguem
 Iulius, obsidibus firmat ad ista fidem.
 Nec mora fit: Britones, quos armis vincere nescit,
 aggreditur tacita seditione domi.
 Prævaluit tandem, sed non sine sanguine Cæsar,
 & Britones Romæ subdidit imperio.
 Quis (nisi de Stygio fuerit prolapsus Averno)
 tam dirum poterat sollicitare nefas?
 In mala privatas convertere publica lites
 quis (nisi quem peperit tigris & vrsa) velis?

O Britonũm virtus, Britonũm invictissima virtus!
 nescia Romano cedere posse iugo.
 At quanquam Ausonijs fias subiecta magistris,
 invitamq; licet te nova sceptrapremant,
 Hoc tamen in vestram restat (Britannia) laudem,
 quod dici (cum sis prodita) victa nequis.

DE TENANTII, KYMBELINI ET Guidcrij gubernatione.

A Ndrogeus Romam cum Casare deinde profectus,
 præ sceleris liquit regna pudore sui.
 Interea sceptrum tenuit Tenantius, Iste
 terribilis bello, pace serenus erat.
 Hinc Kymbelmus successit iurè paterno,
 quo regnante:
 Nascitur in mundum mundi salvator IESVS,
 qui peccata suo sanguine nostra lavat.
 Virq; Deusq; simul, de virgine, sed sine patre,
 nam sine patre fuit vir, sine matre Deus.
 Hinc Kymbelino successit bina propago,
 Guiderius senior, Iunior Arviragus.
 Denegat exactum Romanis ferre tributum
 Guiderius, vulgo sic placet esse levi.
 Non tulit id populus Romanus, at arma cepesit
 vt Britones cogat solvere, quod renuunt.
 Claudius huc Casar properans, & Lelius Hamo
 instimulant Britones in nova bella feros.
 Non tamen in primis adeò feliciter alis
 pugnatur, quin & Claudius ipse fugit.

*Lælius astutam mox, deficiente Leone,
 vulpem agit (vt vastri pectoris vsq; fuit.)
 Commutat clypeos, Britonumq; insignia & arma
 induit, & linguam Brutigenum simulat.
 Talibus instructus, falsa sub imagine, technis
 vimq; suis addens (sorte iuvante) dolis,
 Se Britonum turmis sociat, ne credere posses
 hunc fore Romanum, sed potius Britonem.
 Inventoq; aditu ad Regem nil tale timentem,
 Guiderium ad mortem funditus ense ferit.
 Hinc medios facto iam murmure lapsus in hostes
 Lælius ad socios incolumis redijt.*

VINDICTA ARVIRAGI IN LÆ-
 lium Hamonem, & virtus eius.

Hamonem Arviragus scelerata cade superbum
 obsidet, & fratris vindicat ense necem.
 Claudius hinc prolem Genuissam iungit, vt isto
 Connubio iunctus fiat ab hoste comes.
 Ille tamen patria pro libertate recusat
 Romanum vltterius velle subire iugum.
 Prælia Romanis multo cum sanguine movit,
 & domuit turmas (Vespasiane) tuas.
 Ista fuit Britonum non vltima gloria, nolle
 se fieri dominis mancipia Ausonij.
 Is vitij mastix fuit, & virtutis Asylum,
 Romanus terror, gloria Brutigenum.
 Is patria leges stabilivit, vt inde corona
 (qua sine lege ruit) tutior esse queat.

Non a deo pronus forsan punire malignos,
 quàm fuit ingenuus sponte fovere bonos.
 Utq; fuit senio provector, arma reliquit,
 & studuit pacem (Marte silente) sequi.
 An metuat vel amet magis, hunc, Romana potestas,
 in dubio est, sed & hunc diligit atq; timet.
 Staminibus fufis. huic Cl. & diocestia bustum
 praparat in templo, quod struit ille patri.

DE MARI CVM PICTIS BEL-
 lo & prima eorum in Scotia
 habitatione.

Filius Arviragi Marius probitate patrizans
 defuncto Arvirago sce; tra paterna regit,
 Quo dominante Scythe indomiti, Pictiq; Britannis
 sub duce Londrico bella cruenta movent.
 Quos tamen in varijs Mariana potentia pugnis
 obruit, & Pictos dissipat in latebras.
 Rex Scythicus medijs cecidit Londricus in armis,
 & quid sit temerè bella movere, docet.
 Reliquias Pictum reci, it Cathnessia, Thuli
 Proxima, qua Pictis gens habitanda datur.

DE RELIGIONIS INCHOATIO-
 ne in Britannia diebus Lucij.

Lucius in lucem prodit, de patre Coello
 nascitur, & dictus Lucius est merito,
 Ex Evangelio quia lucem promit, Is author
 primus a;ud Britones Religio. is erat.

Scribit Eleutherio papa Bytionesq; profanos
 supplicat enixè Christicolas fieri.
 Divus Eleutherius votis regalibus aurem
 applicuit, doctos dirigit hucq; viros.
 Das operi (Duniane) manum, nec defuit isti
 structura celerem ferre Fagarius opem.
 Lucius ipse sacras intrat baptismatos vndas:
 exemplum sequitur plebs, proceresq; suum.
 Sic valet exemplum Regis cum plebe, quod audit
 vel videt, in sensum pronior vsq; trahit.
 Promptius intuitu sequimur, quam mente receptum:
 ista per Ideas, ille per acta probat.
 Falsa superstio paulatim evanuit, at quod
 Radices egit, non facile eximitur.
 Flamini in sedem succedit Episcopus, & qua
 dijs fuerant, nunc sunt templa dicata Deo.
 Nec citius sevit Christus bona semina, quin &
 insereret lolium Demonis ira suum.
 Asclepiodoto nam posthac sceptrā tenente
 in pecudum rabidus fertur ovile lupus;
 Iamq; furit passim Dioclesaana tyrannis,
 infantem sitiens mox iugulare fidem.
 Christicolas varijs tormentis afficit: isti
 membratim indomitis dilacerantur equis.
 Hi vivi assantur veribus, quassantur & illi
 impositi duris corpora nuda rotis.
 Lancinat hos mixto lanius crudelis aceto,
 hos coquit in plumbo, strangulat hos laqueo.
 Hinc Aconita parat, saxis hunc obruit, illum
 suffocat aquoreas culeus inter aquas.

*Frustra hinc forcipibus candentibus extrahit; & cum
 pena nequit fieri saepe, fit illa diu.
 Inter honoratos (grassante tyrannide) patres
 qui fidei causa succubere neci,
 Albanus quasi stella micat Verlamius: Ille
 tam nece, quam vero signat amore fidem.
 Huic confessorem Amphibalum petiere Tyranni
 ad mortem, Albanus non finit id fieri:
 At tacitè Amphibalum abscondens, se vestibus huius
 induit, & mortem, vivat vt alter, inuit.*

CARASSII DOLVS, AM-
 bitio & exitus.

INtere à regnum dum fit provincia, sunt qui
 imperio reddunt quod decet obsequium:
 Qui fieri cupiunt falsiciter omnia: quin sunt
 qui nimis oppositis partibus vsq; student.
 Ast ita fit, quoties gentem coalescit in vnam
 diversus populus, non bene compositus.
 Iste repugnando velut Antiperistasis vrget
 in varios motus dispare consilio.
 Vt faces commot a parit, sedat a reponit
 testa suas, sic fit turbido in imperio.
 Rebus apud Britones sic stantibus, omnibus in se
 divisus tacita seditione domi;
 En, iuvenis quidam Britonùm, Carassius, ortus
 ex humilis, non de sanguine nobilium:
 Magnanimus tamen, & magnis conatibus aptus
 qui nomen sitiens amplificare suum,

Romam adit, & blanda compellat voce senatum,
 quæq; sui adventus causa fit, exhibuit.

De se plura refert, (nec deest facundia dictis)
 de patria narrat multa, sed illa dolens:

Esse alias gentes infestas vsq; Britannis,
 multa pati indignè Romulidas Britones:

Non fore sperandam nisi magna in classe salutem:
 Prædam alijs fieri gentibus, esse grave.

Non alios, inquit, muros habet Insula, tollas
 mœnia, nequaquam constat in vrbe salus.

Impetrat ascribi sibi classem, magna professus,
 se patriam tantis velle levare malis.

Dat verbis iurando fidem; gravis inde senatus
 signatis tabulis præcipit id fieri.

Quam facile est facti credentibus! Ille senatum
 ludit, & in patria transtulit ista malum.

Ad Britones redijt, fiunt mandata senatus,
 instruitur classis, quid facit inde, tene.

Navibus instructus patrijs à finibus hostes,
 vt speciem præ se iam tulit, anne fugat?

Nil minus: ad cædes, incendia, furtiva, rapinas
 omnia pro libito vertere cura fuit.

Nam Britonum quacunq; movent per littora naves
 aut capit, aut perdit si renuere capi.

Indigenas (si quos factis incur sibus illic
 in villis reperit) navibus associat.

Vnde iuventutis collectæ copia magnum
 in numerum subito crescit, & arma capit.

Vtq; sua vires, sic inde superbia crevit:
 nam sones, novus est ambitionis honor.

*Ambitio est hydrops cui non est terminus: Is qui
iam plebeus erat, nunc diadema cupit.
Longius haud differt, quas ante paraverat vti
viribus. & focijs participare nefas.
Invadit Britones, Romanos dissipat, in quos
dum gravius saevit, tu Bastiane, cadis.
Extincto duce, Reliquias exterminat: & mox
Romanis pulsus, in solium erigitur.
Non fortuna diu captus arridet, Aleetus
mittitur vt Roma restituat Britones.
Is tribus instructus legionibus intrat: & omnes
primates Britonum qui steterint, trutinat.
Quos vsurpanti scit defecisse trucidat,
quos reperit fidos, ditat, honore beat.
A vitijs virtus distingui gaudet, vti si
digna bonis dentur premia, pana malu.
Dum novus aggreditur sese servare tyrannus,
casus erat; sceptrum victor Aleetus habet.
Tanti nempe fuit sic deluisse senatum,
tanti erat iniustus regna parasse dolis.
Hac sceleris merces, sequitur sublimia lapsus,
quando praeit fastus, pone ruina subit.
Asclepiodotus dux Cornubiensis Aleetum
regna gubernantem Morte feroce premit.
Post varias plagas vltro citroq; receptas,
dux Regem interimit, scepra sibi arripiens.
Asclepiodorum compellit in arma Coelus,
quo breviter caso regna Coelus init.
Gloria regnandi quam fluxa sit & brevis, hic est
cernere: Rex hodie, cras vapor; umbra; nihil.*

CONSTANTINVS MAGNVS.

Nascitur ex Helena speciosa prole Coali
 Rex Constantinus Magnus, in imperium.
 Nomine Magnus erat, maior virtutibus, orbis
 Imperium, Britonum subdidit imperio
 Qui potuit fieri, quin Maximus (vt fuit) esset,
 cultam praelustris claret vtrinq; parens?
 Romana de stirpe pater Constantius: & cui
 de Britonum mater stirpe oriunda fuit.
 Ille, vir egregius, sapiens, industrius, audax:
 Illa fuit suavis, pulchra, modesta, pia:
 Ille potens Armis validos superavit Iberos:
 Illa sacras Musas artibus ingenuis:
 Ille fuit factis, & magnis strenuus ausis:
 Illa fuit dictis docta, diserta, suis.
 Ille fuit mundi terror: fuit Illa voluptas:
 Ille sibi parmam prætulit: Illa crucem.
 Anne potest proles ex his constata, saporem
 quem trahit ex ovo non retinere suum?
 Credibilis non est in magnis mentibus illa
 virtutis leuitas, sic vt abesse queat.
 Tantum aberat, natum cum cepit regna, parentum
 à meritis vita de generare sua,
 Vt potius compenset eas cum fenore dotes,
 Virtutes geminans, quas ab vtriusq; tulit.
 Restituit mundo pacem, domuitq; Tyrannos:
 hereticas lites in synodo dirimit.
 Sic Deus in mundi solamen providet, vt, cum
 totus in horrendis ignibus orbis erat,

Tunc opportunè Rex Constantinus in orbem
 prodeat, ut mundo profluat inde salus.
 Est aliquid regni compefcere posse furorem,
 fumina sed mundi tollere, non facile est.
 Est aliquid primam scintillam extinguere, sed cum
 alius in flammam creverit, est aliud.
 Est aliquid quoscunq; domi cohibere rebelles:
 sed dominos mundi subdere quis poterit?
 Est aliquid sedare faces, quas spargit ineptè
 quis Sciolus, sed quas Arrius, haud ita fit.
 Hac Constantinus facit omnia; quicquid in illo
 Magnum atq; egregium est, discite, vos itidem.
 Iam furit in Roma Maxentius. Ille potentes
 opprimit, & cives divitijs spoliatur.
 Tempia Dei vastat, leges contemnit, iniquis
 plus a quo indulgens, privat honore bonos:
 Tam matrona gravis quam virgo intacta Tyranno
 praeda fit: & quarum non sibi abusus erat,
 Militibus diris stuprandas tradit: ad istam
 nequitiam ambrones surrogat ille rudes.
 Dumq; aper hic rapidus infrendens dentibus omne
 polluit Ausonium sanguine, cede, solum:
 Ad Britones scribit populus Romanus, ut isthuc
 Rex Britonum properet Magnus in auxilium.
 Consilium rex Magnus inquit de rebus agendis;
 non patitur longas causa timenda moras:
 Navibus instruitur, dat vela per aquora, donec
 Ventum est ad muros (Roma superba) tuos.
 Ap huc terra naves: Maxentius omnes
 intere à turmas armat, ut impediat.

Dum steterant acies, & pugna instabat vtrinq;
 dum sonuit flexa clangor ad arma tuba:
 En Britonum Regi medio crux ignea calo
 emicuit, Phœbi splendidior radijs;
 Cui titulus Græcia paruit iste figuris
 ΕΥ ΤΕΤΩ ΝΙΚᾶ, quod sit, vt insequitur.
 Nam Deus in pugna est, pro sanctis militat at her;
 ad pontum occurrunt Milvium vtraq; acies.
 Victus, & in flumen mersus Maxentius, illic
 dat sceleris penas: quod meruisset, habet.
 Sub crucis Augurio Rex Constantinus in urbem
 fertur, & hinc dominus urbis & orbis erat.
 Cumq; monarchiam mundi sit victor adeptus,
 Roma sibi est sedes: Thracia Licinio.
 Quem malè Christicolæ tractantem & bella moventem,
 ex orientalis partibus imperij,
 Admonuit primum desistere, deinde minatur
 Victor: at Is solitas spargit, vt ante, faces.
 Victor in hunc totas vires intendit, & omnes
 congregat armatos, Licinium vt premeret.
 Silvestro Interea Romam (quod Valla negauit
 sed qui, non moror) hunc disposuisse ferunt.
 Iuxta Adrinopolin. qua tunc est Dissa vocata,
 Licinium vicit, nec tamen hunc perimit.
 Hinc, ad Bithyniam victus fugit, inde secundo
 bella movens, iterum victus ab hoste fuit.
 Impetrat huic vitam coniux Constantia, sed sic
 vt Thessalonica senex inermis agat,
 Res tamen ille novas, & ibi, molitur, at illic
 privati perijt militis ille manu.

Imperij sedem posuit Bizantij, & urbem
struxit in antiqua sede Monarcha novam.
Necdum desierat Damon, quin hisce Tyrannis

ac alijs casis nascitur hydra recens

Hæresis, hæc passim quasi cancer serpit, & author
Arrius in vulgi pectora se insinuat.

Ethnica defendit deliria, & hoc sine larva:
nam rabies faciem Religionis habet.

Esse duas Christo naturas annuit, vt qui
esse velit reliquis, ista fatendo, fidem.

Esse patrem, quando non esset filius, inquit;
Porro ἰξὺν ὄντων asserit esse λόγον.

Esse coeternum divino cum patre Christum
abnuit, aequalem prorsus & esse negat.

Hæc (vt erat vasa vir mentis) & id genus vrget
plurima, nec tantum dicit, at ista docet.

Hasq; suas theses errorum dogmata iactat
se se ex scripturis posse probare sacris.

Quippe ait, hoc scriptum est: pater vt mihi dixit, ego sic
& loquor: & rursus me pater est potior.

Et mihi quod dederit servavi, & transeat à me
iste calix, tamen vt vult Deus, haud vt ego.

Et quæcunq; mihi dederit, nemo auferet: & non
velle meum, vt faciam, sed patris, huc venio.

Quæ speciem rationis habent fortasse, tamen sic
non orthodoxam discimus esse fidem.

Nam distinguenda est res vt persona; fit istud
quatenus est homo: fit quatenus idq; Deus.

Nec strepit hæc solum nunc temporis hæresis, at per
totam Asiam rabies nunc Manichæa furit.

Divinam minuit naturam prima; secunda
 humanam excludit proorsus, & adnihilat.
 Providus hæc princeps dum secum mente volutat,
 quam sit in imperijs exitiale malum.
 Hanc miseram Templi scissuram admittere, quamq;
 constat in vnanimi Relligione salus,
 Vtraq; coniunctim delevit schismata, ne dum
 vnum adiuuat, vires forte aliud geminet.
 In vitium quandoq; trahit vitij fuga: finis
 vnius, alterius cum sit origo mali.
 Corpore in humano si tantum frigida præsent,
 vel calida introrsus prævaleant nimium,
 Se male corpus habet: quippe hinc pituita, catarrhus
 febricies, spasimus, pustula proveniunt;
 Ne semper frigeat hyems, vel torreat æstas,
 vere interposito lenit utrumq; Deus.
 Non stat in extremis perfectio, prodigus aque
 in vitio est, ac qui peccat avaritia.
 Si pede sit maior, subvertit, si minor, vrit
 calceus; in medio est inveniendâ quies.
 Virtus est medium vitiorum, quicquid abundat,
 amputat, ac, vbi quid deficit, addit opem.
 Quod minus, aut nimis est, Scyllâ velut atq; Charybdim
 effugit, est virtus, inter utrumq; satis.
 Hæc Constantinus non nesciit: ense recidit
 vulnera, ne partes inficiant reliquas.
 At quoniam totum se divulgârat in orbem
 Arrius, & gravius repserat inde malum,
 Propterea synodum Nicanam convocat, in qua
 cum reliquis, nec eis altior, ipse sedet.

Hinc reliqui discant Reges non prorsus in armis
 esse, sed & Musis invigilare sacris.
 Cesarem Alexandrum, Cyrum, secliq; prioris
 traditur innumeros sic statuisse duces.
 Ergo (nec improprie) vates finxere Minervam
 Doctrina pariter Militiaq; deam.
 Martius hinc sacrum Musis fontem Hippocrenen
 protulit vngue suo Bellerophontis equus.
 Vana equidem vox est, & verè Turcica, Musas
 ingenuos hominum debilitare animos;
 Esse feros prohibent, fateor; qui vult rudis esse,
 abstineat Musis, vivito cum Satyris.
 Vis sine consilio praeceptis ruit, optimus ille est
 ex alijs, qui scit plurima, quiq; facit.
 Nisi facias, quid scire iuvat? sit practica virtus:
 scire, tibi est fructus, sed facere est alijs.
 Callet utrumq; satis Magnus: quantumq; scit audet
 exequi, in haerese non protinus exitium.
 Antistes fidei pius Athanasius illic
 doctrina, eloquio, consilioq; potens,
 Adfuit in synodo, & multa gravitate refutat
 Arrium, & invertit quicquid is astrueret.
 Exulat Hæreticus: Magno Constantia suadet,
 hunc ut ab exilio mox revocare velit.
 Quod sit, & in Tyro synodus nova convenit, illic
 hanc iubet edictis arctius esse novis.
 Cuncta a recognosci statuit, sic scæmina suafu
 prevaluit: sed dum Magnus ad hæc properat,
 En moritur, sic nam voluit Deus optimus, ut non
 principio finis deterior fieret.

*Arrius in fœdam miser intestina cloacam
fundit, ut impietas non sine labe cadat.
Solvitur hinc Tyri synodus, redit orbis ab hisce
facibus, ad puram cautior inde fidem.*

DE MAXIMIANO, QUI REGNUM
Armoricum subiugavit, & subiugatum nomina-
vit Britanniam, quæ & hodiè parva
Britannia dicitur.

IN thalami sociam Caradoci suasibus, almam
Heredem Britonum Maximianus habet.
Sic elatus, opes & naves colligit, vni
Armoricum Regnum trans mare classe petit.
Depopulatur agros, vrbes divastat, ad instar
Torrentis, pessum quicquid & obstat, agit.
Subiugat Armoricos, propriaq; à nomine gentis
instituit posthac diciet hos Britones.
Non magis Agna lupum, nec torvum dama leonem
plus metuit, quam te Gallia tota timet.
Hæc invita tibi cedit, Germania vires
victa recognoscit, Maximiane, tuas.
Imperij thronum Treveris erigit, hinc &
Romam adit, & Romæ (te Gratiane) fugat.
Te quoq; (ni fallor) Valentiniæ peremit,
nec fuit hic gestis meta super rema suis,
Pullulat interea iam Pelagiana per orbem
hæresis, & Britones inde venena trahunt.
At tu Christicolæ reparas Germane labantes,
Tu quoque restituis Candide Lupe fidem.

DE VORTIMERO PESSIMI PATRIS OPTIMO FILIO.

Rex moritur, quis succedat contenditur inter
 Magnates, petit hunc Ille, aliusq₃, alium.
 Vortiger interea sceptrum spe devorat, vt quem
 temporis haud lateat dexteritate frui,
 Constantem Monachum pro Rege obrudit, abuti
 tutius vt possit simplicitate viri.
 Personam Regis Pictis stipavit, & illos
 traxit ad Arbitrium, munera dando, suum.
 Rex conduxitq₃ Pictis occiditur, hos sub
 Iustitia specie Vortiger interimit.
 Aclores sceleris premi. * Author, vt inde nefandis
 se populo technis insinuare queat.
 Author, & vltor erat cadis, sed Numina tantum
 non impune sinunt vsq₃ latere nefas.
 Sic tamen acquirit vi, fraude, & cade coronam:
 Hengistum admittit, Saxonibusq₃ faret.
 At Proceres, tandem detecta cade, scelestum
 Vortigerum solio deposuere suo.
 Vortimer ad Regnum praefertur, patre reiecto,
 Rex bonus, & vera nobilitatis erat.
 At patris ex vitio, prolis magis inclita virtus
 lucet, vt oppositis candida quaeq₃ nigris.
 Ille ferum Hengistum patrijs exterminat oris,
 restituit cives, Saxonicosq₃ fugat.
 Hunc tamen (ô facinus nimium crudele) venenis
 sustulit è medio, dira noverca datis.

DE AVRELII AMBROSII VI-
ctorijs in Saxones & Vor-
tigerum.

Vortiger ad regnum redijt, suafug, marita
Heugiftum revocat, qui prius exul erat.

Huc iterum Heugiftus latum Saxonibus aquor
innumeris implens clafibus applicuit.

Hic quadringentos & sexaginta Barones,
sub specie ficti fœderis ense ferit.

Vortigerumq, capit, retinetq, in carcere, donec
quod velit, obtineat: prada lupo lupus est.

Vndique grassatur, populatur & vndiq, gentem,
vndiq, fit clades vndiq, terror erat.

Aurelium Britones, rebus sic ftantibus, orant
iure suo regnum velle subire: subit.

Nec mora: Vortigerum castrumq, vbi tunc erat, armis
cingit, & obsessum funditus igne cremat.

Eldolio auxilio post hac Ambrosius omnes
Saxonicos fundit, dissipat, interimit.

Consilio Eldadi, Samuelis ad instar in Agag,
Eldolus Heugiftum decapitando premit.

Pugnæ quod superest, exterminat: occupat Octam
Cognatumq, Cosam, vivere vtriusq, datur.

Consulit Aurelius Merlinum, ac esse se pulchrum
Nobilibus casis, qua queat arte, studet.

Occisos proceres sepelit, choreamq, Gigantum
pro tumulo casis tempus in omne struit.

Vortigeri proles Pascenius arma resumit,
victus Marte tamen, quod nequit, arte facit.

Nam

Nam medicum sese fingens Acopa, venenis
 Guintonia egrotum sustulit Aurelium.
 Cuius ad interitum, ne Rex tam clarus obires
 absq; nota, micuit stella comata polo.

DE MERLINI VATICINIIS.

Sive: hilosophicos lector velit esse Britannos
 sive Mathematicos, Astrologosve petat,
 Te (Merline) legat, tu lucida consulis astra,
 tu medicas herbas, tuq; metalla probas:
 Tuq; volatilium cursus capis, exta ferarum
 inspicis, & quid non, quo stupet orbis, agis?
 Tu quid prateryt nosti, quid sitq; futurum,
 prescius enarras, multaq; rara canis.
 Nubibus obducens tua dicta prophetica, ne quis
 hac sine divino lumine scire queat.
 Quæ, quia iam totum sint decantata per orbem,
 non o, us est numeris commemorare meis.

DE VTHERI PENDRAGONIS in Saxones victorijs.

Rursus in arma ruunt ferus Octa & Cosa rebelles,
 hos tamen in castris Vther verosq; capit.
 His ita devictis gens tota exultat, & omnes
 Saxonicum sperant de osuisse iugum.
 Londonium tetit Vther, ibi diademate frontem
 circuit, hic Octam carcerat, atq; Cosam.
 Pascha sacris celebrat Divis genialibus omnes
 indulgent, ferias cryis vbiq; colit.

Inde catervatim proceres ex omnibus oris
 confluxere, sonant organa, chorda, tuba.
 Huc inter proceres Corlois dux Cornubiensis,
 & secum reliquis pulchrior vxor adest.
 Hanc nimis Vther amat, dux dedignatur, vtrinq;
 Cornubiam, invito Rege, repente petunt.
 Rex hos accersit, dux avertatur, vtrinq;
 bella parant, movet hos hinc amor, hincq; furor.
 Oppida dux muniuit, inexpugnabile castrum,
 quo sese recipit candida Igerna, struens.
 At Merlinus opem (sic ars frustratur ab arte)
 suppeditat, voto Rex fruiturq; suo.
 Assumptaq; ducis persona illudit Igernam,
 Arthurum ignoto concubituq; parit.
 Dunaq; foras Veneris Rex infectatur amorem,
 regna alij vastant prodicione domi.
 Nam Regis vitium populum docet esse nefandum;
 exem, loq; putat quodq; licere nefas.
 Carcere tunc fracto ferus Octa & Cosa latenter
 ad socios fugiunt & nova bella struunt
 Vrbs antiqua fuit, quam tunc dixerunt Brigantium
 voce Verolameum, non equidem inclebris.
 Illa superba viris, muris & turribus altis
 audet in Vtherum pandere signa furtim.
 Inque suas partes Cosam conditit & Octam,
 tutum iter ad facinus per scelus esse putans.
 Inde fit in turmas regales plurima strages,
 peior & in causa fors meliore fuit:
 Vther, vt id novit, quamvis tunc temporis, aeger
 esset, & infirmus, se tamen inde levat.

Moxq₃ sibi feretrum fabricari precipit, in quo
 in medios hostes mollius ire queat,
 Aspicit hunc oculis valde indignantibus Oeta,
 Quosq₃ subridens, quorsan hoc (inquit) erit:
 Ergone cum vacuis tandem pugnabitur umbris?
 hæcne alijs, agro convenit, aura magis?
 Tam sumus imbelles, ut semisepultus in arma
 audeat infirmis nos agitare minis?
 Fortè senex bello mallet, quam pace perire!
 esto, nec impedio: cuiq₃ perire licet.
 Has tulit Ampullas; & sesquipedalis Cosa
 scommata Rex Britonum leniter, ut decuit.
 Nam male conveniunt majestas & furor; ira
 Consilium raro, quo bene suadet, habet.
 Negligit Ambronum rixas, intentior ad rem,
 propositiq₃ tenax, ut, quod agit, peragat.
 Vndiq₃ dispersas feretro circumvolat alas,
 & quacunque opus est parte, ministrat opem.
 Hic munuit turmas, hic aggerit, hicq₃ reducit,
 hic precibus movet, hic laudibus, hicq₃ minis.
 Nil intentatum linquit, lapidem movet omnem,
 hostis ut avertat vimq₃ dolumq₃ sui.
 Alta Verolamij subiectis mœnia scalis
 Ascendunt Britones ensibus & clypeis:
 Hos gladijs perimunt, hos saxis, hosq₃ balistis,
 hos, ubi parva minus, revaleret, igne cremant.
 Exultant Britones, timor occupat inde rebelles,
 & quoniam miseris non stat in vrbe sa'us;
 Castra resignarunt, & aperto Marte laceffunt
 oppositas turmas: invenit arma furor.

*Acrius insequitur Rex Vendragonius, & iam
 spes erat hostiles debilitare faces.
 Non opus est multis: inter pugnamque fugamque
 Cosa cadit, post hunc caditur Octa ferox.
 Iam quoque cum fuerat victoria parata, triumphos
 Rex canit; & mallet semisepultus (ait)
 Vincere, quam sanus superari: mox tamen Vther
 Saxoniciis patitur dira venena dolis.*

DE REGIS ARTHURI NOBILIS-
 simi magnificentia & magnanimitate.

Quisquis ab Antiquis fieri miranda Britannia
 denegat, Arthuri Regia facta legat.
 Huic pater est Vther Pendragon, clarus uterq;
 ô quam sunt similes hic puer, ille pater!
 Huic innata fuit virtus ex traduce, sic sunt
 ex Aquilis Aquile, deq; leone leo.
 Ordinis author erat primi, tabulamque rotundam
 militibus patet hunc instituisse suis.
 Tanta fuit Britonum tunc magnificentia in Aula,
 tantaque nobilitas gloria, pompa, decus,
 Ut proceres longè, regesque ex omnibus orbis
 partibus, Arthurum visere confluerent.
 Utque alijs pompa, sic bello presticit, & tunc
 non nisi de Arthuri nomine fama fuit.
 Huic gladius Caliburnus erat, Rona lancea, per qua
 Rithonem monstrum sustulit è medio.
 Plura quidem gessit quam que modulamine nostro
 sitve mihi spaciium propositumve sequi.

Hoc satis est, Arthurus erat: qui nomine tantum
gentibus ignotis terror, amorq; fuit.

Cuius ab auxilio stetit hæc gens; cuius ab ictu
Magnanimi Reges, & cecidere Duces.

Sertorium Libya Regem, Regemq; peremit
Bithynia, & gladio dempsit vtriusq; caput.

Lucius hæc pugna cecidit Tiberius, in quo
tunc Romanorum gloria summa stetit.

Mortuus ad Romam defertur, vt inde senatus,
qua fuerit Britonum gloria, perspiceret.

Rex iubet haud aliud spectari exinde tributum,
quàm quod in hoc trunco solverit exanimi.

His ita digestis Romam cupit ire, sed illum
Modredus retinet seditione domi.

Quem dum persequitur ferro flammag; furentem,
pluribus acceptis, cladibus atq; datis:

Modredo prius occiso, cadit ipse: sed hostem
qui perimit, victor stat, licet ipse cadat.

Vulnere Languescens sensim sic transit in auras
Nobilis Arthurus, gloria Brutigenum.

DE QVATVOR SVBSEQVEN- tibus regibus.

Hinc Constantinus, Connanus, Vortigerus,
postq; hos Mulganus Regia sceptrâ tenet.

Iste procul dubio (si non Sodomita fuisset)
principibus primis equiparandus erat.

At facile in populum manant exempla potentum,
deteriusq; i: so crimine crimen habent.

BRITANNICA.
DE BRITONVM BELLIS
civilibus.

53

Quando semel medium sol carisu ascendit in axem,
vergit ad Occasum se remouendo, suum.
Sic fit in imperijs, subeunt, vt cetera, finem,
quando semel summum prateriere gradum.
Perpetuum nihil est ex sublunariibus, at quod
in pretio est hodie, cras redit in nihilum.
Numen ab aeternis distinguens vsq; caduca
hunc velit humanis rebus inesse statum.
Cens hac qua fuerat iam dudum gloria mundi,
gens hac qua reliquis gentibus horror erat,
Fortunis nimium nunc luxuriando secundis,
intestina suo pectore bella fover.
In sua fata ruit praeceps; ac more Thiestis
in scia quos peperit, devorat ipsa suos.
Quaeq; alios quondam, nunc se premit, in sua vertis
viscera, quod reliquum stragis ab hoste fuit.
Quae fuerat salix, misera, imò miserissima nunc est.
Falicem, grauius damna fuisse, grauant.
Vt quando varijs pugnat in aequore ventis,
& penetrat Boreas flatibus ima maris:
Fluctuat huc illuc in tempestate carina,
non vbi se tuto sistere possit, habens:
In scopulos, syrtes, & inhospita littora fertur,
nec poterit calinauta tenere gradus.
Navibus hic lintro fractis enavigat expes,
hic scopulo elisus piscibus esca datur.
Ille suas (quoniam minor est iactura bonorum
quam vitæ) merces projcit in pelagus.

D. 3

Sic

*Sic & in imperijs, vbi sunt civilia bella,
 nulla quies, nulla est copia, nulla salus.
 Ordine subuerso rerum, susdeq, feruntur
 Omnia, neglecta est lex, violata fides.
 Precipitatur honor, virtus stupet, esse modestum
 est capitale: scelus ni facias, pateris.
 Rex populo, populus Regis suspectus, vterque
 alterutri fraudes insidiando struit.
 Hic Britones spoliant Britones, & amicus amicum:
 hic domino servus preparat insidias.
 Hic pater insequitur prolem, prolesq, parentem,
 hic iugulat matrem filia, sponsa virum.
 Caditur hic infans lactantis ad vbera matris,
 hic trahitur coniux dilaniata comas.
 Hic iacet ad sacras transfossus presbyter aras,
 invita hic stuprum virgo pudica subit.
 Quisque (velit nolit) fit miles; bella timentes
 bella gerunt: ferro stat sua cuique salus.
 Cogere quam cogi nemo non maluit, in vi
 tutius inferre est, quam tolerare, nefas.
 Rostra fugit Iudex, metuit metuendus, in armis
 lex filet, ex alijs, quam dedit, orat opem.
 Non thalamis Regina suis secura quiescit,
 non Rex in solio, quod cupit esse, iubet.
 Squallida stat rerum facies, quasi tota retrorsum
 esset in antiquum terra redacta chaos.
 Undique fit planctus, singultus, & undique clamor,
 quisque miser, nec quem, qui miseretur, habet.
 Tempia Dei deserta iacent, vbi sacra fuerunt
 atque hominum cœtus, nil nisi bubo volat.*

Pulpita Nyctiorax, & tintinnabula milvus
 occupat, & tota squallor in vrbe sedet.
 Territus in silvas civis fugit; oppida fures,
 quodque magis miserum est dicere, bruta tenent.
 Vras nemo premit: nullus colit arva colonus;
 deserit innocui pastor ovile gregis.
 Hic ferit, ille metit segetes, hic colligit aurum,
 dissipat is, pecudes pascit hic, ille vorat.
 Edibus ambrones vestris scurræq; fruuntur,
 cum tibi sub vacuo est mansio nuda dio.
 Rabula purpureas vestes teret vnus & alter,
 cum, velut erro vagus, tu sine veste tremis.
 Coram oculis vestras ganeo consumet aristas,
 magnificasque dapes, cum peris ipse fame.
 Thesaurum abscondis? non audes querere: tollis?
 non vbi deponas scis: & habere times.
 Arma cupis? nescis cui parti habere: recusas?
 ô vbi cum suas hostis verig, lates?
 Vivere vis? hostes nihil est incertius inter:
 visne mori? miseros quis uevat, vt pereant?
 Hei mihi, Civilis recitando incommoda belli,
 dispeream, si non mens mihi deficiat.

IN AVGVSTINVM A GREGORIO
 Magno in Britanniam missum.

INtere à regno diviso, quodque sub vno
 Rege fuit, varijs Regibus exposito,
 Mittitur ad Britones pius Augustinus, vt illos,
 Saxonicosq; sacra Relligione beer.

Bangoria clarum tradunt tunc temporis esse
 Cœnobium, multis magnificum titulis;
 Præfuit huic Abbas sanctus Dinotius, in quo
 præ reliquis micuit gratia, musa, fides.
 Hic Monachi bis mille sacri, centumq₃ fuerunt,
 qui sua voverunt vota precesq₃ Deo.
 Nullubi Cœnobium totidem produxit alumnos,
 quot fuerunt intra mœnia Bangoria.
 Hæc ibi sollicitat pius Augustinus, ut vnâ
 Saxonicos secum verba Dei doceant.
 Utq₃ sibi morem gererent: Dinotius agre
 (ut fuit elati pectoris) ista tulit.
 Sicq₃ ait, impuris dabimus (pater optime) porcis
 sacra Dei quæ sunt, ut puta Saxonici?
 Absit: & haud æquum est tibi nos parere, quod optas,
 ecquis enim subdet libera colla iugo?
 Non tibi debetur subiectio nostra, labores
 sin ita fert animus participare tuos:
 Perge, age pro lubito, non est tibi portio nostri,
 tu tua, nos verò nostra sequemur, ait.
 Non sumus hac miseri, (miseri licet vndiq₃ simus)
 ut vestra (Britones) indigeamus ope.
 Hostibus indignum est servire, placere molestum,
 prodesse ingratum: non nocuisse nocet.
 Hunc Augustinus porrecta fronte benigne
 excipit, & quicquid displicet, arte silet.
 Quod cum Ethelbertus Rex Captius audijt, ira
 aestuat, & vires pronus in arma parat.
 Spèrni Augustinum, pro nullis ducier Anglos,
 idq₃ (quod est gravius) per monachos fieri.

Equis, ait, nisi truncus iners, illinguis & excors
 ferræqueat? nullas sustinet ira moras:
 Quin & Edelfridum, quem tunc Northumbria Regem
 novit, in auxilium sua sit adire suum.
 Instructas acies, promptasq; ad bella cohortes
 ad Legecestrenses fert furibundus agros.
 Consulibi Bromael Monachos vt servet, in hostem
 irruit, & belli fulmina prima tulit.
 Mille ibi bis centum Monachi gladio perierunt,
 O quam dulcis erat, sic perisse, salus!
 Martyrium in causa non pena pendet, eoq; est
 pena minor, quanto causa fuit melior.
 Victor Edelfridus Monachorum cade triumphans
 Castra movet, iuxta Bangorienſe solum.
 At Belli fortuna diu non durat: ad vrbis
 Bangoria victor mœnia victus erat.
 Hunc Bledericus enim dux Cornubiensis ovantem
 Fundit, & indignam cogit inire fugam.
 Sic redijt miseris, abijt fortuna superbis:
 qui modo stat, videat, ne simul ipse cadat.

DE CADVALLONIS IMPERIO.

Post varias pugnas, longiq; pericula belli,
 quod cum Saxonibus iam tulerant Britones,
 Inter Edelfridum & Cadvannum pax stabilitur,
 quæ, dum vixerunt, inviolata fuit.
 In quod Amicitia fedus iuravit vterq;
 obsidibusq; fidem sanxit vtring; datis.
 Tunc apud Armoricam Solomon Rex presuit, illi
 commendat soboles Rex hic, & ille suas.

Vt pueri teneris hic instituantur ab annis.
 quippe quod imbiberat prima iuventa, manet.
 Cumque a tate pares fuerint & honoribus, ille
 efficit, ut possint moribus esse pares.
 Vnus utrisque fuit studiorum cursus, in armis,
 gymnasiis, musis, arcibus atque pilis.
 Sic hos (ut decuit natos ad regna) minorum
 Rex Britonum Solomon precipit institui.
 Nam gravitate senex summa fuit, utpote quicum
 candidior fieri Regia vita queat.
 Vir sapiens, & qui Solomonis nomine frustra
 non fruitur, tanto polluit ingenio.
 Nil precepta iuvant, ubi non exempla relucet.
 qui malus est, alium vix facit esse bonum.
 More suo docet hos venerari numen ab ovo,
 & quod iustitia est reddere cuique, suum.
 Non fore difficiles, nec quales non sibi constant,
 nec quibus ampla nimis, nec sit avara manus.
 Multa peregrinie coram Solomone peregris
 Cavallo, Edvinus non fuit inferior.
 In summa, virtutis eum processit uterque,
 ut vix scire queas, hic sit, an illo prior.
 Defuncti tandem patribus, Solomonis ab aula,
 navibus instructi regna paterna petunt.
 Trans Humbrum Edvinus regnat Borealibus oris:
 cetera Cadvallo sub ditione tenet.
 Omnia apud Britones tranquilla pace geruntur,
 & soliti firmum fœdus amoris erat.
 Consilio donec tandem Cadvallo Briani
 fretus, in Edvinum bella inimica movet.

In quibus ille tamen victus post multa recessit
 praelia, & in turpem cogitur inde fugam.
 Interea ferro vastat flammaque Britannos
 Edvinus; quid non audet agitque furor?
 Sape redire parat Cadvallo, & Pellitus augur
 angurijs frustrat regis cœpta suis.
 Quippe erat (vt fertur) venturi præsciens, & qui
 stellarum cursus calluit & volucrum.
 Cum videt illud quicquid decreverat, & spem
 vincendi vanam iam fore, Rex Britonum.
 Rursus in Armoricam disperso milite victus
 vela dat, implorans hic Solomonis opem.
 Omnibus auditis quid querant, quidve querantur
 Brutigena, Solomon fatitur, vt insequitur.

SOLOMONIS REGIS ARMORI-
 canorum Britonum ad Cadvallonem
 Regem Britannia Maioris
 oratio.

E Gregij Iuvenes (nam vos mihi causa querela
 estis) in hoc vestrum condoleo exitium.
 Quis sit, vt antiqui Britones à vilibus Anglis
 expulsi externam sollicitetis opem?
 Vosne feram Britones Trojana è stirpe profectos?
 vos ne putem Priami Dardanidumve genus?
 Qui sic contempti, sic victi, sicq; fugati,
 turpiter à vestris degenerastis avis!
 Hi poterant Dacos, Pictos, Gallosque domare,
 Germanos, Libycos, Ausoniosq; duces.

Vosq;

Vosq; quid? à proavis gens invictissima vobis
 est data, quam miseri deseruistis, ait.
 Imperij fines ad magna moenia Roma
 vestri extendebant militia proavi.
 In vobis nihil est prisca, vel parta tueri,
 Roboris, à vestris tam procul estis avis.
 Subdidit hos tantum Romana potentia, nec fit
 hoc, nisi secreta seditione domi:
 Vos, timidi Ambrones, & aperto Marte, nec hasta
 sed gladius, etiam Saxonici superant.
 Gentibus hi fuerant vicinis terror, & orbis,
 audito Britonum nomine, pertremuit.
 Fabula vos estis iuvenumq; senumq; tabernis,
 & trivjs, & vos garrula ludit anus.
 Tu quoq; Cadvallo nostra nutritus in aula
 qui Martem imbiberas, meq; docente, puer:
 Qui toties coram nobis iuvenilibus annis
 militia tuleras tanta trophaea tua:
 Seu fuerit vibrare hastam, iaculumve per auras
 mittere, seu tumidis addere calcar equis:
 Quam procul à temet nunc es digressus? in armis
 primus eras, at nunc ultimus in meritis.
 Oblitusve tui es generis, doctoris, & aula,
 primum vbi suxisti vitæ alimenta tua?
 Dic tamen, vnde tui nostriq; oblivio tanta
 creverit? & quanam causa sit exilij?
 Macete animi princeps, lapsamq; recollige mentem,
 sorte subit melior deficiente Deus.

RESPON-

RESPONSIO CADVALLONIS

ad Solomonem.

Multa mihi & patriæ graviter (Rex inclyte) nostræ
objicis, & crimen (quicquid id est) fateor.

Non ita me vanum (miserum licet improba fingat
me fortuna) putes, vt manifesta negem.

Et tibi, iudicio qui perspicis omnia acuto,
& nunc, cum vestram supplicò pressus opem,

Absit, vt excudam, princeps, mendacia, fata
me miserum faciunt, non tamen esse levem.

Esto, nec impugno, spretis superamur ab Anglis,
& victi exilium nunc patimur: fateor.

Nos patriam profugi, nos vrbes, castra, penates,
& quicquid charum est perdidimus: fateor.

Sunt, inquis, veterum celeberrima gesta Brigantum,
nos sumus à proavis degeneres: fateor.

Delicia mundi terrorq; fuere Britanni,
nos verò patriæ dedecori: fateor.

Fabula nos tippis sumus, & tonsoribus, inquis,
& quicquid dici plus poterit: fateor.

Non tamen obliti vestri sumus, at minus apti
(Rex) fateor meritis aqua referre tuis.

In miseris tantum est sublata potentia rebus:
mens tamen auferri, non sine morte, potest.

Mens (vt ait vulgus) cuiusq; est quisq;, voluntas,
sive opus esse bonum, seu facit esse malum.

Multa mihi memoras, fieri qua non nego; sed, quo
hac animo, & casu, facta fuere, tene.

Vincimur: at qui sit? nonne hoc fuit alea Martis?
possumus iratos nos prohibere deos?

Ausugimus victi: tamen vt qui cedere nollent,
 quos nova spes tandem posse redire fovet.
 Tentamus reditum, redituris Æolus obstat,
 cogit & inuitas, quâ placet, ire rates.
 Possumus aduersos an nos compellere ventos?
 Neptuni rabidas vel cohibere minas?
 Quæ sita sunt extra nosmet, non sunt ea nostri
 iuris, vt evinci, perdere, sive mori,
 Altera Natura, sunt altera debita sorti:
 nam patimur, seu non ista, agit ante Deo.
 Nos intra, proprie sunt velle & nolle: voluntas
 imperium in nostrum corpus herile tenet.
 Stare, sedere, minus sive amplius, ire, morari,
 passio & affectus, spes, timor, ira, dolor.
 Hæc proprie nos sunt intra: superare velimus?
 nos penes est, sed quod vincimur, est alibi.
 At nisi te lateat, quid iustam Numinis iram
 provocet, & patriam quid faciat miseram,
 Hæc adverte, precor, breviter qua dixerò, nostri
 exilij causa est exitijque scelus,
 Et patria vulgare nefas: nam sæpe ruina
 principis & regni, profluit ex populo.
 Relligio sperata est; pietatis quos decet esse
 lumina, sunt potius linina nequitia.
 Cum semel impura fuerint in fontibus vnda,
 in fluvijs alias quis fore speret aquas!
 Iustitia sedes nunc fit vanalis: & auro,
 non probitate, potens conciliatur amor.
 Abstergit modicas reverentia publica labe,
 & gravitas sceleris suspitione vacat.

Dant Reges patulas Assentatoribus aures,
 qui sua, non Regni commoda, respiciunt.
 Utque interpositis nebulis obscurior est sol,
 & radijs terras frigidius reficit:
 Sic & adulator, qui plane est Aulica nubes,
 excludit reliquos, & melius meritos:
 Ut neq; virtutes, nec Mars, nec Musa, nec artes,
 à Radijs Regis qua meruere, ferant.
 Crescit ab attracto nubes densata vapore,
 vimq; suam ex fumo, & sordibus, alter habet.
 Solvitur in ventos, tonitrus & fulmina nubes,
 Ille simultates, iurgia, bella, parit.
 Insuper & reliquis addas erroribus, aula
 Aucupium, fastum, luxuriam, Veneremur
 Virtus & vitium pensantur lancibus aequis,
 ni gravius lancem forte premit vitium.
 Rura petas, domino sit prada colonus avaro,
 Ruris ab arumnis pascitur aula nitens.
 Spongia sit populus: regali quicquid in aula
 officit, in populum manat abinde malum.
 Ut capite egroto, sanos descendit in artus
 morbus, & hinc partes debilitat reliquas;
 Sic in Rura nefas sese divulgat ab aula
 principis: exemplum plus nocet vsque malo.
 Arridet vitium vitio, neglectaq; virtus
 & contempta nigris ambulat in tenebris.
 Hec mala sunt patrie (doleo me dicere) nostrae:
 corrupti, fateor, morbida signa stat us.
 Ast ea me puero nostrumq; in tempore patrum,
 neq; absente procul, nata fuisse scias.

Nec

Nec vitio verti mihi debent, quæ neq; feci,
 nec fieri poteram tunc prohibere puer.
 In nostrum tamen exitium cumulat ur, iniqui
 quicquid ab antiquis progredere tur avis.
 Vos (Superi) testor (tantum mihi fœdera pridem
 rupta ignoscatis) sic ego si merui.
 Vt tamen, indomita quæ sunt delicta iuventæ
 non ea (cum flant) secula sæpe gravant:
 At collecta diu (cum sit minus apta senectus
 ista pari) canos sollicitare solent:
 Sic fit in imperijs, presentis nam scelus ævi
 forsitan in seculo posteriore luet.
 Quando vel imperium discors, vel REX erit infans,
 hæc mala prorumpent in patriæ exitium.
 Hinc mihi nunc ista (Rex) profluxere ruina,
 conunifere alij crimina, plector ego.
 Hinc est quod fugio victus, quodd sic vagor exul,
 hinc est, auxilium quod peto, spero tuum.

SOLOMON AD CADVAL-
lonem.

Hisce tuis moveor multum rationibus, hinc &
 promptus in auxilium fio, tenaxq; tuum.
 Sors tibi non animum deerat (Cadvallo) secundis
 dignus es, adversas qui bene res tuleras.
 Exacte fit nemo miser, nisi sponte: coactus
 si quid agis, fat is, non tibi, crimen inest.
 Non agit, at patitur quisquis compellitur, ultra
 velle tuum non est, Numina posse regunt.

Quam

Quam cito me verbis Cadvallo viceris, hostes
 tam cito te spero vincere posse tuos.
 Nec mora: conscribunt acies: ne Pellitus Augur
 Notitiam Edvino propositi exhibeat.
 Ad Britones properat secreto more Brianus,
 Augurem vt è medio tolleret, ac ita fit.
 Augur ad Edvini portas fortè exit, vbi alter
 mendicum sese fingit, & hunc perimit.
 Tunc pe. it Exoniam ignotus, sequiturq; Peanda
 Exoniamq; armis cingit, vt hunc capiat.
 Navibus interea Cadvallo intervenit, hostes
 fundit, & occiso milite, dux capitur.
 Qui se perpetuum posthac fore destinat hostem
 Saxonici, sitiens Marte probare fidem.
 Pergit in Edvinum Cadvallo, Edvinus in arma
 Saxonicos omnes convocat, & coeunt.
 Instat vterq; suis turris, victoria tandem
 Cadvallonis erat, Saxoniciq; cadunt.
 Caditur in campo, qui vulgè dicitur Hedfield
 strenuus Edvinus. pernitie Britonum.
 Post illum Offridus regnat, post hunc Caduanus,
 quos simili perimit victor vtrosq; modo.
 Nunc tenet Osvaldus sceptrum Borealibus oris,
 quem ferro & flammis exagitant Britones.
 Stat murus Britones inter Scotosq; (Severus
 condidit) hâc Scotos terminat, hâc Britones.
 Huc fugat Osvaldum Cadvallo, Peanda fugat unâ
 insequitur, quem post pralia multa necat.
 Sic, velut in pugna Cadmea, mutua dantes
 vulnera Saxonici, Saxonici pereunt.

*Iam satis adversas expertus, resq; secundas,
 & melius sortem doctus utramq; pati.
 Ægrotat Cadvallo, dolent Britones, sed inanis
 tristitia est, quæ sic flectere fata putat.
 Non medicis herbis, lachrymis, precibusve minime
 decretum variat propositum Lachesis.
 Morbis, non senio nec debilitate gravatus,
 ni fuerit morbi qualis inesse solet,
 Nobilis æthereas Cadvallo transit ad edes,
 vltima Brutigenum gloria, splendor, honor.*

DE BRITONVM FINE ET
miseria.

Filius in Regnum subijt Cadvallader, in quo
 completur Britonum funditus exitium.
 Nunc opus est lachrymis potius quam carmine, bellum
 dira fames sequitur, pestis avara famem.
 Sic mala sunt vicina malis, transitur ab vna
 ad varias clades, constet vt esse Deum.
 Sape ferit pariter, gradibus quandoq; remisissis,
 fera licet, tamen est vltio certa Dei.
 Nunc redit in Cancrum Phœbus, nunc Sirius agros
 vrit, & in medio flumine siccat aquas.
 Terra negat fruges, non profert fertile pratium
 gramyna, sylva suis stat viduata comus.
 Hic armenta bouum pereunt, hic pastor & agni,
 hic pater, hic proles, hic puer, hicq; senex.
 Hic edit infantem nutrix, nec sufficit hoc, sed
 sese in frustra secat, sic satiare famem.

Ipsa suo tellus tremebunda debiscit hiatu,
 ut quos non potuit pascere, aperta voret.
 Et quodcumq; fames intactum liquerat, illud
 (quicquid erat reliquum) devorat atra lues.
 Nam λιμός & λοιμός sunt concomitantia, per quā
 ut quoq; per bellum vindicat ira Dei.
 His tribus impurum castigant Numina mundum,
 & genus humanum sollicitare solent.
 Bellum ubi non proffit, tentant fame, non ibi cessant,
 at fame quos nequeunt flectere, peste probant.
 Paulatim imprimis serpit, quasi cancer, at inde
 currit, & hinc tandem pestis ubiq; volat.
 Parva metu primo, sed qua crescendo gradatim
 fit gravior, vires auget eundo suas.
 Undiq; per totum celeris contagio regnum
 grassatur, iuvenes surripit atq; senes.
 Ista nec aetate tenera, nec parcat anili,
 ista nec ingenium respicit aut speciem.
 Ista nec auratas Regum discriminat aulas
 pastorumq; casas, ast in vtrumq; furit.
 Nec stibium formam viresve unguenta tuentur,
 nec cerebrum sumus, nec coma falsa caput.
 Nil medicina valet, nec quid delectat amomum,
 nec quid Amaracinum, nec sacra myrrha iuvat.
 Balsama non profunt agris, nec aromata: morbus
 est gravior, quam qui pendet ab artis ope.
 Egrotō medicus dum consulit, occidit ipse;
 infantem nutrix dum fovet, ipsa perit.
 Non socius socium, non visit amicus amicum;
 rumpit amicitia debita iura timor.

Qui fugiunt villas, vastis moriuntur in agris,
 qui fugiunt agros, in trivijs pereunt.
 Inficiunt purum foetore cadavera calum
 putrida: defunctis nemo sepulchra parat.
 Pastor oves, naves mercator, aratra colonus,
 bruta solum, volucres aera, piscus aquas,
 Rex solium, proceres aulam, plebecula villas,
 deserit, haud ubi quis vivere possit, habet:
 O miseri Britones! ô gens! ô tempora! quisnam
 ferreus hac fando temperet à lachrymis?
 Stat procul in terris gens Transfabrina, remotis,
 nuper ab indigenis Cambria dicta fuit.
 Gens montosa, tamen fluvij & vallis imis
 plena; nec ingratam se gerit Agricolis.
 Huc, quoniam patrijs tutò non vivitur oris,
 agminibus fugiunt Reliquia Britonum.
 Hic sese latebris nemorumq; recessibus abdunt,
 sic utcunq; salus invenienda fuit.
 Armoricam Rex ipse petit, se tradit Alano,
 defuncto solium qui Solomone, tenet.
 Interea deserta iacet Britannia, nemo
 hanc cupit in pradam, qui prius audet, habet.
 Saxonici tandem morbis cessantibus isthuc
 classibus innumeris applicuere, feri.
 A pelago ad pelagus nudam tunc vndiq; gentem
 implevere novo Saxonici populo.
 Quo semel audito valde cupiendo cupivit
 antiquam patriam visere Rex Britonum.
 Dum tamen hac animo multumq; diuq; revolvit
 (ut iam nil aliud nocte dieq; studeat)

Angelicam vocem descendere calitus audit
 (nolito patriam visere Rex Britonum.)
 Dum, quod prädixit Merlinus, venerit ævum,
 Desertam repetent tum patriam Britones.
 Interea fac quæso petas Cadvalladre Romam,
 papa ibi te capiet Sergius hospitio,
 Non aliter reditum sperent, nisi abinde, Britanni,
 hic te pro misero paniteat populo.
 Non nisi per fidei meritum patet, idq, futuro
 tempore Britannis gens habitanda tuis.
 Hac quæ contigerant Regi narravit Alano,
 de re tam dubia quid putet ille, rogat.
 Ille prophetissæ scrutatur dicta Sibylla
 Merlini ac Aquila pervolat vngue libros,
 Nunquid in his possit reperiri tale, quod æque
 hisce revelatis conveniat, trutinat.
 Omnia concurrunt: viso hoc Cadvalladrum Alanus
 Consilio Romam suadet adire novo.
 Postposita patria Romam petis, excipit illum
 magnifice grato Sergius hospitio.
 Rex subitis morbis ibi mox correptus, ab huius
 colluvie carnis transvolat ad Sup:ros.

AD PRÆSENS TEMPVS
Apostrophe.

CADVALLADRI VMBRA
ad Nympham Ale-
thiam.

Proh Supereros! vbi sum? quonam feror? vnde revertor?
 Post totidem noctes, post sacula tanta peracta,
 Post mille expletos sub Averni faucibus annos?
 Ecquis ab infernis tandem me suscitavit umbris?
 Quisnam me miserum mortalia visere cogit?
 Invitumq; trahit sedes penetrare relictas?
 Nonne satis fuerat mihi, deposuisse coronam?
 Privatimq; Deo mea vota votere supremo?
 Quam modo Lethæis lotum post funera lymphis
 (Nescio quâ) patrias revocari rursus ad aedes?
 Quem video? quis me sequitur? me tangere noli
 Quisquis es, infelix, non sum mortalis, at umbra.

NYMPHA ALETHIA.

Parce mihi, si quid videor tibi fortè molesta,
 Nympha ego sum, teneras noli cōtemnere Nymphas.
 Nunc vrbes, nunc rura colo, nunc prata frequento,
 Nunc virides sylvas, nunc regum versor in aulis.
 Nunc verò in Templis, sum filia temporis, & cui
 Traditur à primis infans Britannia cunis:
 Vt fidei documenta sacra, moresq; benignos
 Hauriat: à primis nam quicquid gustibus hausit,
 semper inherescit, primumq; reservat odorem.

*Sed quis es euarres? quo vadis? & vnde profectus?
 & cur sic patrias te visere pœnitet oras?
 Quisquis es, haud metuo, nec sum metuenda vicissim.
 Nympha ego sum, teneras noli contemnere Nymphas.*

V M B R A.

Ille ego sum, si scire velis, Cadvallader, olim
 Rex Britonum, qui sceptrā libens, regnumq; reliquit.
 Et iussu Angelico Romam migrare coactus,
 in precibus reliquum traxi securius avum.
 Cūq; mihi misera transacta sit vltima vita
 linea, pallentes infra detrudor ad vmbas.
 Primus ibi ante fores occurrit Cerberus, Orci
 Ianitor, vmbRARUM custos, canis ille triformis.
 Exigit is solitam diris Latratibus offam,
 Qua semel in fauces proiecta, admittit euntē
 Introitum; limen subeo nigrantis Averni.
 Obviat inde senex multis provectior annis,
 squallidus aspectu, barba demissus ad vsq;
 Crura, oculis intus rigida sub fronte reclusis;
 Crinibus incomptis, rugisq; senilibus, is qui
 Per Stygiam manes transportat lintre paludem
 Portitor inferni, qui graui & voce profunda
 horridus, instantes vocat ad sua littora manes.
 Cum semel vmbRiferum tranāsem flumen Averni,
 en patet obductus spissa caligine gurgēs
 Vastus, & horrendis implens vlulatus aures.
 Hic lachrymas frustra mittunt, ibi pectora tundunt.
 hic lacerant crines, ibi strident dentibus, hic stat.
 Pallor iners, illic macies sedet, horror vtring; est.

Hic rotat Ixion, hic saxum Sisyphus vrget,
 hic Titium laniat vultur, stat Tantalus illic
 perpetuo sitiens, satians sua viscera nunquam.
 Aspice de dextra, furys agitur Orestes:
 Hic Nero qui toties humano sanguine mundum
 polluit, impuro saturat sua guttura tabo.
 Quiq; in Christicolis varijs Caligula penis
 sevyt, asiduis hic caditur ipse flagellis,
 Hic Heliogabalus stat Sardanapalus & illic,
 Ulceribus plenus, leprofus, putidus, & iam
 luxuria quæ sunt condigna stipendia norunt,
 Indulgere gula quid sit. de parte sinistra
 Aspice, Nestorius, Donatus, & Arrius illic
 semper inextinctis torrentur in ignibus; isthic
 perpetuis tenebris semperq; calentibus vndis
 damnantur Monachi: iacet hic Mercator, & illic
 Caufidicus, hazulus copulantur & Aulicus aequè.
 Doctus, iners, opulentus, inops, expertus & experts,
 Prodigus & parcus vincl: stringuntur eisdem.
 Rusticus & princeps, nullo discrimine vbique
 Horridus est clamor, singultus & vndique luctus.
 Hac ita dum fiunt, Plutonis ad ostia pulsat
 Nescio quis, visus fuit è mort alibus vnus.
 Id tamen insolitum est Stygias penetrare cavernas
 Mortales, nisi sint exutus carnibus umbra.
 Id potuit quondam monstrorum victor, & isthinc
 Eurydicen traxisse sono testudinis Orpheus
 dicitur, exemplis alijs caret Orcus; At ille
 Quisquis erat, furys circum comitantibus audet
 intrepide pulsare fores, Vir pallidus ore,

Crinibus in dorsum dimissis, lumine acuto,
 Dentibus imparibus, barba pro tempore rara,
 Corpore procero, gracili tamen, ut quod ad arma
 Non, quantas habuit vires, promitteret in se.
 Hic (ut erat minime promptus sermonis, at audax)
 Vos, ait, o Erebi reverenda potentia, nostras
 exaudite preces, & (si mortalia nondum
 negligitis) vestram miseris mortalibus oro
 acceleretis orem: Medio iacet Insula ponto
 Anglia ab Indigenis dicta est, Britannia quondam
 Et qua sic iterum dici desiderat: olim
 Religionis erat mater, nunc dira noverca est.
 Olim Orthodoxa fidei fuit anchora, sed nunc
 Angulus heresim, Sanctorum ergastulum; ut vno
 Complectar breviter verbo, pene ipsa Gehenna.
 ex quo Wickliffius sua dogmata sparsit in orbe,
 postq, huc Hieronymus Pragensis, & Hussius, & tunc
 Zwinglius, & Papa infestissimus ille Lutherus.
 Postq, hos, sectarum turba intolerabilis orbem
 polluit, haud desunt Reges qui gnaviter istos
 Errones nutrire solent, & ab Aspide dirum
 vipera consilium capit: at (nisi spes mea fallat)
 non impune ferent. per vos, per fata, per umbras
 per Stygiam (& si quid queat amplius esse) paludem
 Iuro iterum atq, iterum, me non desistere, donec
 Huius ego sceleris vindictam plenius hausi.
 Rex Britonum, & coniux sibi chara, & Regia proles
 Nobilitas, patrieque patres, & gloria gentis
 Tartareas omnes pariter mittentur ad umbras.
 Hos non eripiet regalis pompa, nec Aula

gloria prelustis, non auri splendor & ostri.

Non sua tanta fides, non hos sapientia fervet:

Ad Stygias inquam mittentur protinus vndas.

Mutanda est Regni facies: sus deq; ferentur

Omnia, vos tantum ceptis molimine vestro

Aspirate meis: Et si quid savius istis

additis, id gratum est. hac cum vomit aëset, ab alto

Æacus exurgens solio, sic dicere cœpit:

Quisquis es, vnde venis? vel quo te nomine digner

Improbe mortalis, sceleris fabricator iniqui,

haud moror, auxilium frustra petis, improbe, nostrum.

Nos, quibus humani sceleris censura perennis

Arctius incumbit, pœnis cruciare nocentes,

Esse putas scelerum fautores? falleris: æquum est

vt sit flagitio iudex immunis ab omni:

Simplex corde, manu intactus, de lumine cæcus,

quiq; nec invidia, nec amore recedat ab æquo.

Siccine apud miseros mortales vestra geruntur

Iudicia, vt cuiquam spes sit corrumpere posse

Iudicem, & à recta pretio precibusve, minisve

flectere posse via? non sic agit Æacus: id quod

tu bene perspicias citius, nisi cepta relinquas.

Tamne leve est regnum sorti prescribere, & vno

Magnates patria q; patres extinguere flatu?

Regem, Reginam, & sobolem extirpare favilla?

Gentibus externis in pradam tradere gentem?

Idq; à Christicolis? quid quæso savius? immo

Quidnam adèd horrendum, vel tanto sanguine plenum

Turca potest? sed perge, tuis erroribus istud

Innameris animis Regnum ditefcit; iniqui

(Qualis es) imperium magni Platonis adaugent.
 dixit: & in tenebras subito se contulit: alter
 inde referre pedem, quasi spe frustratus iniqua,
 cœpit, & obstupuit concepta Iudicis ira.
 Hac apud infernos quî sunt tractata ad amussim,
 Nympha tenes: memores mihi Nympha quod inde secutû est.

NYMPHA.

Mira mihi narras, & ego tibi mira vicissim
 Narrabo: interea auscultes: Hic ille scelestus
 quem tu tam varijs poteras describere signis,
 ecce Catesbæus generosa stirpe profectus
 Nonren habet; sceletis fuit hic faber improbus huius.
 Quod tu (sed dubiè veluti sub nubibus) vrget.
 Iste diu meditans Regis Regniq; ruinam
 Talibus hanc tentat gradibus. Locus est vbi leges
 in malefactores patriæ plerunq; feruntur.
 Huc Rex, & Princeps, Regina ac Aulica pompa,
 huc proceres sanctiq; patres, & lumina legum,
 & generosorum numerus selectus vbiq;
 conventurus erat quinto Novembris. At Ille
 vt frustrare queat quod Rex intendit, ad istud
 flagitium implendum socios iunxit sibi tales,
 Qualis is ipse fuit: ne detegat Iste vel Ille
 Quod statuunt, vigilant, & in alta silentia iurant.
 Cuniculos primum subter penetralia terra
 idq; latenter agunt: hoc non placet: altera mox est
 Aggredienda via, & non deest industria capti:
 Subter, vbi Regni conventio magna sederet,
 Cella obscura iacet, soli vix pervia, quæq;

à paucis perspecta fuit (nam sic later intus)
 Hic, inquam, hic (sed lingua tremis mihi cetera fari)
 pulvere sulphureo dolia implere viginti
 bisq; octo; sparsimq; locant, ut grandis inde
 eveniat damnum, qua, ne videantur, vbiq;
 fascibus obducunt ferroq;, ut pondere pulvis
 obsistente suas geminaret in athera vires.
 Dumq; ita presentem minitantur cuncta ruinam,
 & nihil in tantum facinus, nisi mittere flammam,
 desuit, ex scripto subolet Regi esse propinquum
 Tale nefas: sed qui, vel quando nescit: Ad ista
 exploranda aderant quidam è magnatibus, ast hi
 Nil tale inveniunt, sine suspitione revertunt.
 Rex tamen, in cuius melior sententia mente est,
 Hisce malis, teneris non inconsuetus ab annis,
 suspicit esse dolos, atq; explorare vicissim
 cautius iniungit, num tormentarius illic
 pulvis ad exitium positus sit, necne, futuri
 mens saepe est praesaga mali: metuitq; quod haud scit.
 Iamq; dies aderat, cum Rex & tota sequela
 ad Parlamentum (sic vulgò dicitur) irent.
 Exploratores praeunte in nocte silenter
 ad Cellam accedunt: vbi Faxius omnia ad vnguens
 Aptaturus erat: dij, dij, tam sedulus vnquam
 in re tam misere scelerata, tamq; fidelis
 & constans sceleri, tamq; imperterritus vsquam
 Ante fuis? mea musa stupet memorare, quod ille
 intrepide fecit: capitur: nihil inde movetur:
 Tunc veluti monstrum spectatu venit ad Aulam:
 Non ided pallet: tunc coram Rege locatur,

non variat vultum: sed ubiq³, ac omnibus idem.
 Ducitur ad Turrim, sceleris non penitet, immd
 infectum dolet esse nefas: huic aenea frons est,
 ferrea mens, & cor adamantinum, vt hunc nihil horum
 molliat, aut trepidis quicquam compungat ab ausis.
 Interea reliqui prarupta machina ab vrbe
 voloces in rura volant, ibi qualia possunt
 bella movent, brevis est pugna & victoria parua.
 Ipse Catæsbæus, duo Wrihi, & Percius, isthac,
 qualiscunq³ fuit, pugna caduntur, vt illi
 qui potius cadi mallent, evadere legem,
 quam pugnando capi: sic hos mens conscia terret.
 Reliquia, cum non possint obfistere, cedunt.
 Nequit iamq³ suam confessi iusta subibant
 ludicia, & patrijs convicti legibus alta
 proditiõnis, habent leviores crimine penas.
 Nulla erehim tantum scelus aequat pana, nec vncus,
 Nec rota, nec Siculi bos aneus ille Tyranni.
 Nec fuit hic scelerum finis, nec meta malorum,
 hos sortasse furor temerarius egit in hoc se
 precipitare nefas: sed si quendam tibi narrem
 Præcipuum, doctum, prudentem, Religiosum,
 huncq³ senem, titulis, studijs, gravitate, senectæ,
 Qui merito poterat reverendus episcopus esse,
 huncq³ reum sceleris; non tu mirabere? sic se
 Res habet. Est hominum quoddam genus Ambitiosum
 Regibus infestum, credentibus exitiale,
 Nomine fictitio (sed vano more) ferunt se
 Esse Iesuitas, & dulci nomine Iesu,
 quod sacrosanctum est, audent fetulanter abuti.

Ordo novus, vanus, phantasticus, atq; superbus,
 Antea inauditus mundo, nam (vera fateri)
 septenos decies vix dum duravit in annos.
 Ordinis huius eras, Garnette, huiusq; farina:
 Nam quis te gravior, sed quis sceleratior est te?
 Externa specie quis Relligiosior? at si
 respicias animum, quis sceditiosior intus?
 Quis melius scivit? quis peius fecit? vt annis,
 sic & flagitijs & seditione senescis:
 Nam neq; proditio sine te fuit vlla per annos
 ter senos, neque tu sine proditione, paratus
 semper ad exitium patriæ, minus actor, at auctor,
 Consilio non vi, qui verò precipit, & qui
 Rem facit, in culpa sunt aque: tu latitando
 Vulpem agis, ast alios cautus facis esse leones.
 Sin quis hoc obijciat non persuasisse, sed istud
 Te tantum celasse nefas, respondeo, quisquis
 non prohibet facinus cum possit, suadet & vrget.
 Scilicet in Regum causis, reticentia saepe
 est crimen capitale: salus nam principis est &
 Regni prima salus: perdant armenta bubulcum,
 Pastoremve greges, vel tempestate carina
 Nauclerum, nequidunt, non cuncta errare, perire.
 Quanto queso magis sublato principe Regnum?
 Nec fuit hoc facinus tantum interciderè Regem,
 sed sobolem Regis: nec sic, sed tollere & ipsum
 Imperium & Regnum: nec tantum corpora, quin &
 si poterant mactare animos, subitanea inors hoc
 Quatenus efficeret. proh Numina, qualis Abyssus
 & scelerum pelagus fuit hoc? iam Gallica strages

& Catilinaris iam coniuratio, cades
 Cæsaris, & Britonum magnatibus illa ruina
 quam ferus Hengistus per fraudes intulit, hac &
 cætera qua peperit, vel qua producere possit
 Mundus, in aspectu solis crudelia, dira,
 horrida, præ scelere hoc infando sunt nisi nuga.
 Horum erat ambitio, reliquis fortasse scelestis
 (& facile credo) scelere hoc præcedere posse.
 Qualis erat quondam demens Herostatus, illis
 qui templum Ephesia vastauerat igne Diana.
 Sape angore animi petijt gens Anglica Regem,
 qui stabilire suo constantem semine pacem
 possit, & auditis patriæ clamoribus, ecce
 Rex sine disidio nobis datur. Isq; nec anguis
 qui populum perdat, nec trabs Æsopicus, in quem
 plus æquo liceat populo præsumere: nobis
 Non Nero, non Otho, Galba aut Vitellius est Rex,
 sed Constantinus, Trajanus, & ille Iosias
 quem toties repetunt scriptura, Relligiosus,
 Tempia Dei celebrans, & magnis sumptibus ornans.
 Iusticia custos, legum anchora, pacis asylum,
 Ingenij, eloquij, doctrinæ, dotibus auctus:
 Corpore plus solito castus, plus mente benignus.
 Quam fortasse iuvat, non hunc natura severum
 composuit, felix quia nescijt esse Tyrannus.
 Munificus, largus, meritis benefacta rependens.
 Esse hominem frugi non multum in principe tanto
 laudis habet, Regi minus expedit esse tenacem.
 Quid moror in paucis? vix totum sufficit ævum
 æregias animi dotes depingere, vt æquum est.

Attamen hic utcumq; diu fuit antè petitus
 huius gentis avior, vasti admiratio mundi,
 Regibus exemplar reliquis (miserabile dictu)
 in subitam proscriptus erat (proh Numina) mortem.
 Quid potuit peius fieri, si luxuriosus
 impius, indoctus, vecors foret, Isq; Tyrannus?
 sed quid habent pro se tandem videamus, ad ista
 excusanda? ferunt Regem fort'asse favorem
 promississe suis; sunt hac commenta: sed esto:
 Et posito, si quis Titio promiserit ense,
 Interea Titius demens evadit, an ergo
 servandum est Titio promissum? nil minus: heres
 si patris exitium semel intentaverit, annon
 exheres fieri meruit? quis denegat? omne
 quicquid habet damnum, quod multu & sepe queruntur,
 provenit ex ipsis, nemo non læditur à se.
 Nam legem fecere sibi, qua fervida si sit,
 Haud equidem mirum est, ex sulphure & igne creatur:
 dura nimis si sit, de ferro & fascibus ortum
 primum habuisse scias: sobolemque suam ambigit esse
 Legitimam, cum sic imitetur nata parentem.
 Sed quid in hac causa princeps fraterq; tene llus?
 quid Regina parens, proceres patresq; togati,
 promeruerè, rogo? Princeps cui debilis etas
 Invidiam minuit, cui vultus mitigat iram,
 Cuius in aspectu regale & amabile quoddam
 (Nescio quid) splendet vulgaribus altius, in quo
 Majestas & amor contendunt, plusne timeri
 plusve coli possit? per se sic vtraq; præstant.
 Quem quicumq; vider, fuerit vel Turca vel Indus,

hunc amat, & dotes plura quam pro aetate viriles
 admirando canit: tamen ex nostratibus isti
 quos potius durus generavit Caucasus, illum
 (qualiscumque fuit vel re vel spe venerandus)
 igne perire volunt: Adde & dux Carolus infans
 innocuus (rapidum quamvis evaserit ignem)
 Interimendus erat gladio, non parcitur atas
 Non genus, aut sexus, Nemesis furit undique flammis.
 Ancillis Regina suis stipata, choroque
 splendida femineo, formosa, heroica, plures
 Neq; ariet, pereat decretum est: denique gentis
 Magnates, quoniam scelere pro viribus obstant,
 Et quia sunt Regi (ut par est) Regnoque fideles,
 Odere, & penis quas possunt omnibus illos
 excruciare student ad mortem, & (si queat) ultra.
 Nec sic desistunt quin patres ter venerandos
 Iuris & humani & divini culmina, dira
 devovere neci: primos quia crimina penis
 castigare solent: reliquos, quia schismata vana,
 fictitias nugas, & dogmata falsa reserunt.
 Hec & plura mali meditantur, at omnia frustra:
 Quae quia iam pridem calamo felice perinde ac
 sive in proposito stabant, sive acta fuerunt,
 à Capite ad calcem graphicè scribuntur, ab illo
 Cuius & intererat scire haec perfectius, & quo
 non poterat quisquam limatius ista referre:
 Ne longus videar: causa brevitatis omitto.
 At magis horrendum sol nunquam viderit aut quod
 (ut veram fatear) propius pervenit ad Actum.
 Sed Regum dominus Regem Regnumque tuetur.

Quod statuunt homines, avertunt Numina; vanum
 Consilium est hominum, quod non Deus ipse secundat.

In caput ecce suum sceleris censura revertit;
 Authores reoret q̄, nefas, qui perdere flammis
 sperabant alios, perierunt ignibus ipsi.

Quiq̄, exspectabant volitare per aethera membra
 Nobilium, casi membratim corpora nunc stant,
 Non vbi promisit sua spes, sed in aethere, corvis
 esca, loci fator, vabi spectacula vulgi.

Quiq̄, adeò ardebant patrias subvertere leges
 legunt; anas (non quas meruere fatebor)
 sed quas Rex voluit mitis, quasque exigit vsus.

Ἡδὲ κακὴ βουλὴ τῶ βουλευτῶν κακίη.

CADVALLADRI VMBRA.

Hæcine Religio est Romana, occidere Reges?
 Officium populi seducere? prodere gentes?

Vocibus aquivocis verum deludere? quantum
 Roma recessisti à temet? Tu norma fuisti
 Exemplarq̄, alijs quondam regionibus, alma
 Iustitiae, fidei, pietatis, Religionis:

Nunc scelerum sentina iaces, & cadibus orbem
 polluis, hac equidem vestra sunt Ambitionis
 semina, qua nimium cecata cupidine vana
 illiciti questus, neq̄, ius, neq̄, fas, nec honestum
 respicis, at nullis consistens finibus aequi
 in patria vertit communem cuncta ruinam.

Si ne Iesuita persuadent? sicne pupillos
 moribus instituunt? his Romanis diebus
 vix dici meruit, patria nisi proditor audet


Esse sua: fidei sedem scelus occupat, & quod
 persuasum est alijs quondam, nunc cogitur, ac si
 Religio qua corda ligat, qua pectora format,
 Iam nisi larva doli, vel serua Tyrannidis esset.
 Quisque suas partes velit amplificare libenter,
 Esto: sed id precibus, non vi, nec sanguine fiat.
 O quam degenerem te praeberis Roma! Senatus
 Temporibus priscis profugum, qui cadere Pyrrhum
 Obrulerat, Pyrrho licet hosti, ex vrbe remittunt
 Compeditibus vincitum: postquam Pharsalica pugna
 Niliacas victum Pompeium extrusit ad oras,
 Hunc ibi quaerentem auxilium transfudit Achilles;
 & caput occisi (nam Caesaris inde favorem
 impius ambiuit) praesentat Caesari: At ille
 dedignans tam vile nefas, ut cunq; probare,
 protinus e medio tolli mandavit Achillam.
 Mitto Apophroditum qui sustulit ense Neronem
 humani generis monstrum licet, atq; Tyrannum
 Et condemnatum furcis de more vetusto:
 Idq; licet precibus faceret iussuq; Neronis,
 Cum tamen id fecisse palam se iactitat, illum
 (quam primum id sciret) multavit morte senatus.
 Hac antiqua fuit virtus & gloria Romae:
 Quam vos dissimiles? hoc si fecere profani,
 quid vos Christicola? siq; ipsi hostibus illi,
 quid vos principiibus vestris debetis? at olim
 Aurea praecessit, nunc aenea deficit aetas:
 Iam nihil in Templo nisi Simonia vagatur:
 Nil nisi frigescens nimium, nimiumve calefcens
 schisma, fidem satis est tantum pratendere, vita


qualiscunq; tibi fuerit; si pergis ad aulam,
 regnat ibi ambitio, gula, livor, factio, luxus
 gratia adulandi, quin mendicatio & illic
 In pretio est: nempe is, cui mendicare molestum est.
 Aulicus esse nequit: vel non sibi commodus: ipsa
 Nobilitas questum nimium venatur: honorem
 negligit: ac nequeunt vno consistere vilis
 questus honore, loco: nunquid sine crimine credis
 Iudiciale forum reliquis fore sanctius? ah non:
 Iustitia sedes facta est vanalis: an ergo
 Iustitiam incolumem quisquam fore speret? in ovo
 quod putret, magis in pullo putrescit: ab isto
 fonte fluunt rixa, lis, & violentia, quisq; vt
 ditior est, lit em sic confidentius vrget.
 Nunc iniecta mora est, vt lit is pondere se se
 discedant inopes: nunc festinatio parte
 altera inaudita damno est: ita causa potentum
 prevalet are dato, languescit causa minorum.
 Hinc tandem ad cives oculi vertantur, & vrbes;
 hic nihil est nisi fraus, periuria, sanova, scorta,
 Insidia, ebrietas, luxus, petulantia, apud quos
 fraudare est sapere, & sapere est insania: vile
 Id genus est hominum, cum nil sapiat nisi questum.
 In summa, est totus scelerum nisi sarcina mundus:
 hic spoliant hostes, iugulant hic nocte latrones:
 hic Atheus sacrum trahit in ludibria verbum.
 hic pater insidias soboli, sobolesq; parenti.
 Tendit, ad interitum mundus declinat, vt hic est
 cernere, & a pravis ad turpius omnia vergunt.
 Ergo quid hic rebus sic existentibus vltra

*commoror? ad Stygias multo mihi tutius ades
vivitur; ergo vale, mihi iam discedere fas sit:
Hanc mihi Nympha peto veniam, tibi doq, vicissim.
Dixit, & umbrosam rursus descendit ad Orcum.*

FINIS.




 DE FIDE ET ANTIQVITA-
 te hujus Historiæ Tractatus
 Apologeticus.


 ATIS superq; iam ex his comper-
 tum esse iudico (Lectores benevo-
 li) Antiquissimos hujus Insulæ Re-
 ges, non ejusmodi fuisse homun-
 ciones, prout huius ætatis, & no-
 stratium fortassis aliqui, nimio verborum appa-
 ratu asserere non ambigunt. sed à natura nobis
 hoc insitum est, vti si quid hodiè neotericum, vel
 è gentibus transmarinis exoticum prælo cõmit-
 tatur, id, qualecunque fuerit, laude & encomijs
 vsq; ad admirationem supra modum efferamus,
 nostra verò vtcunque sunt vel temporis antiqui-
 tate, vel antiquitatis autoritate authentica, adeò
 oscitanter & perfunctoriè tractamus (pænè dixe-
 rim detractamus) acsi aliquid esset in eis periculi,
 quod communi opinioni non suffragetur. Ex
 quo fit, vt qui altius, quam par est, aliorum gesta,
 pleno (vt aiunt) ore buccinarunt, in patriæ suæ
 causa, ita parcè, timidè & (vt hodiè loquimur) i-
 ta reservatè agant, scribant, dictitent, tanquam
 qui in anguem aliquem vel scorpionem ambulân-
 do fortè inciderint. Ex his sunt q; in rebus calidif-
 simis sunt frigidi, in frigidissimis calidi: Sed vi-
 deamus

deamus tandem, quid ponderis vel momenti in se habent novæ istæ assertiones, quas indies in ore omnium strepitâtes audio: Vrgēt fortassè Galfrido nostro fidem non adhibendam esse, nisi de his quæ etiam in Romanis historijs reperiuntur, quod perindè est, ac si quis solem splendere non credat, nisi tandelam prius accendat, vt hunc intueatur. Eo verò curiositatis iam peruentum est, vt nihil hodiè vendibile, nihil fide, nêdum lectione vix dignum existimetur, quod ex commentarijs Cæsaris, ex Livij, Appiani, Suetonij, vel Cornelij Taciti Annalibus depromptum non fuerit, quibus licet in hoc scribèdi genere, prima historiarum palma à plerisq; & merito, concessa sit, aliorum tamen ob hoc non est minuenda auctoritas: Si quis vero Lectoris animo scrupulum hunc iniecerit, historiam haut Britannicam, Romanis illis, quæ communi omnium calculo approbantur, veritate inferiorem esse, eò quod eiusdem seculi authores ex industria, multa quæ apud nos sunt, omittunt, siue de rebus nostris aliter ac nostri sentiant, enitendum mihi est, vt scrupulum hunc Lectoris animo, omni qua possum diligentia, eximere possim. Quis enim tam exilis animi est qui credat alios apud exterarum nationes, æquè ac nos de rebus nostris posse diiudicare? cum & ea pauca sint, quæ de rebus nostris alij scripserunt, in ijs tamen paucis quæ scripta sunt, multum hallucinantur. quippè qui, cum narratorum temporibus, locis, personis, gestis non adfuerunt, nihil

certum, nihil constans, nihil memoria dignum tradere possint: quo vitio à Strabone taxantur Eratosthenes, Metrodorus, Scæptius, Possidonius & Patrocles geographus, nostri verò temporis omitto multos, quos in hoc aliquantulum errasse (ni prohiberet me modestia) digito poteram ostendere. Quì enim fieri potest eos non falli, decipi & toto cælo errare, qui tanquam per transennam nube aliqua interjecta omnia intuentes, ex aliorum relatu, & vulgari opinione rerum alienarum notitiam suam eliciunt. Quemadmodum verò in visu rectè ordinando tria præcipuè requiruntur, primum, vt Organum benè sit dispositum, secundò vt medium bene sit temperatum, tertio vt objectum, neque nimis sit remotum nec propinquum: sic in historia tractanda Authoris animus optimè instituendus est, vt de rebus gestis verè & dilucidè, quorum aliud est vita, aliud vestis & ornamentum historiæ, prædicare possit. Deinde vt medium, quod ego scribentis elocutionem intelligo, benè temperetur, ne vel ex amore vel adulatione plus æquo quempiam extollat, quod est inscitie, aut ex odio vel invidia deprimat, quod est iniuriæ; Postremò vt subiecta materia neque adedò sit propinqua, vt præ domestica rei familiaritate negligatur, nec ita remota, vt ex loci intervallo authori minus innotescat. Detur verò (quod tamen minus verisimile est) posse exteros autores rerum nostrarum veritatem tradere, vtputa Cæsarem & Cornelium Tacitum,

citum, quorum alter quasi in transitu militari, alter quasi in hospitio peregrinus res Britannicas contemplatus est, credibile tamen non est, velle hos Romanæ gloriæ quicquam detrahere, quod nobis quos tunc in flore & iuētute Rōmāi imperij contēptui habebant, conferre nō iniquum putarent: quod Tacitus in vita Iulij Agricolæ testatur, vbi Galgacium sic dicentem introducit, si-
 cut in familia recentissimus quisque servorum, & conservis ludibrio est, sic in hoc orbis terrarum veterē famulatu novi & viles in excidiū petimur. eò vsque autem contemptui eos habuit Cæsar, vt cum de Britānis quid locutus esset, barbaros hos plerumque appellaret, In exemplo sint hæc, At Barbari consilio Romanorum tunc cognito. & alibi; Interim Barbari nūcios in omnes partes dimiserunt; & eius generis permulta. Esto tamen, & voluisse hos de gestis aliorum verè & fideliter scribere, constare tamen haud poterit historiæ nostræ veritas ex tam minutis Argumentis & Testimonijs, qualia de Britannia obiter hij ediderunt; quæ licet perfectæ historiæ culmen non attigerint, pro temporis tamen ratione & commorationis suæ apud nos brevitare, laude sua non egent. Nam (vt ad ipsum Cæsarem qui apud nos vix hibernavit veniamus) quid quæso Historicus hic egregius, Dux invictissimus, & Imperator summus in Commentarijs suis de Britannia momenti habet? De regionis situ maritimo, vt de insula hac natura triquetra, paululum (scil. eleganter

ter vt omnia) narrat. De infinita hominum multitudine, de creberrimis edificijs, de magna pecoris, plumbi, ferri, & aliorum metallorum abundantia memorabile certe testimonium nobis reliquit. Quæ verò apud Britannos bello gesserat, parcius aliquantulum, & (vt ita dixerim) in nos frigidius tractat, vt cui studio fuerit quântum potius quam quomodo vicerit demonstrare. De effedis Britannicis aliquid, de Attrebate suo multũ memorat, de fuga verò & tergiversatione sua hic (quod apud Lucanum Pompeius ei obijcit) ne mentionem quidem fecerit. Non nego Insulam hanc à Cæsare subiugatam, & ad gloriæ suæ consummationem reliquis suis victorijs tãquam appendicem & corollarium adiunctam fuisse, (quæ Cæsar sub persona Mandubratij adumbrare visus est) hoc tamen ex Androgei prodicione potius, quam Romanorũ virtute effectum fuisse liquet, quod tamẽ apud Cæsarem in Commentarijs minimè apparet, ne gloriam suam obscuraret rei veritas. Accedamus ad Cornelium Tacitum, qui in diebus Domitiani sub Iulio Agricola hic apud Britannos meruit, quid demum ille adferat ad huius historiæ ornamentum, ponderemus. Scripsit, fateor, Ille de Iulio Agricola quam accuratissimè, tunc apud Britannos provinciam occupante, sed id tantum per Septennij aut, si velis, Decennij spatium, quod certè ad concinnatæ historiæ res deducendas, non multum temporis erat, id tamen in Agricolæ potius (vt optimè meruit)

ruit) quam in Britannia gratiam scriptum fuisse, non est, quod quis ambigat, id quod in exordio huius operis author ingenuè professus est, quamquam & hic de Britannia multa, nec labore suo, nec observatione nostra prorsus indigna, memorentur. Sin verò historiæ Britannicæ series à Principio Bruti, ad Cadvalladri finem æquis pensetur lancibus: hæc quæ Tacitus de Britannia mediocriter sed breviter, de Julio verò Agricola ad largum idque elegantissimè scripserit: si Agricola respexeris, perfecta historia, si Britanniam, brevis quædam historiæ parenthesis, potius quam historia ipsa esse videatur. Habetis hinc (Lectores optimi) quid adiuventi historijs nostris adferant Authores isti extranei: de præsentè tunc ætate aliquantulum, de præterita nihil recordantur. At si illi hac in re maiores progressus non fecerint, qui nobiscum (ad breve licet tempus) simul vixerint, quid tandem à Livio, Appiano, Suetonio, Iustino, Eutropio, & reliquis infinitis apud Romanos historicis speremus, qui rebus nostris non omnino interfuerunt: qui si Britanniam esse insulam procul in Oceano remotam, Septentrionem versus topographice delineare possunt, satis se adeptos esse existimant. Et si fortè addiderint gætem fuisse barbaram, populum ferocem, huncquæ à Julio Cæsare (quod plerunque non omittunt) olim subjugatum, in laudem huius historiæ certè non multum referet. Ex ijs verò perspicuum est, historiæ huius veritatem è geminis nostris fontibus

bus exhauriendam esse, id quod ego vobis præcipuè (Lectores benevoli) ipsis etiam criticis, & lectoribus (si qui sunt) malevolis pro fide & dignitate huius hystorię persuasum fore cupio, ne iudicia nostra alieno modulo, tãquam regula Lesbia, metiamur. Qui verò hac in causa mihi adversantur, aliud fortassis astruunt argumentum priori haud multum dissimile (vt intactum nihil relinquam) Britannos olim fuisse barbaros, & literarum profus rudes, nec eis curæ fuisse posteritatem, quod si concessero, habent nimirum cavillatores isti quæ aucupantur. Sin verò ad Bladudi Tēpora animum revocare velint, qui Musas idq; Athenis imbiberit, si æquo iudicio leges illas trutinent quas struxit Mulinutius, vel Martianas illas quas postea Aluredus Rex Saxonicus auxit, & in lucem edidit, & quarum hodie apud nos non mediocris vsus est; Si in vaticinia Merlini oculos convertunt, quæ per tot ætates ab omnibus admiratione quadã recepta sunt, quem tñ ioculatores isti, opinione sua magis, quã rei Antiquitate freti fabulatorẽ ducunt, si deniq; infinitum religiosorum cætum, qui tunc Bangoriæ, & alibi in varijs Britannię cœnobijs vitã Monasticam degentes, literis operã navabant, Gildam Bedam & eius seculi infinitos alios, (de viris illis doctissimis non loquor Duniano & Fagano, qui ab Eleuthero papa ad Lucium tũc Britannię Regẽ missi sunt,) non dubito quin ex his satis exploratũ habeant, potuisse Britones temporis illius statum, conditionem,

tionem, & gesta. pro veritate satis confidenter, & perspicuè, pro methodo erudite satis, & elegàter literis & posteritati prodere. Non tamen me lateo digladiari hodie inter se opinionib⁹ Antiquarios nostros de veritate & certitudine huius historiz. Nihil enim in rebus humanis adedò certum est, quod contradictionem non admittat. Nec mirum est, quandoquidem solidæ veritatis vna tantummodo via sit, errorum verò devia quam plurima. Eo vsque enim creverit opinionum ista varietas, vt in proverbium iam pæne cesserit, mundum regi opinionibus, (destrui potius crediderim.) Vt vero ex credibilibus fides, ex intelligibilibus scientia, sic & ex probabilibus, nascitur opinio, nihil autem tam incredibile est, quod dicendo non fiat probabile. hinc est, quod tam asperæ tamquam implacabiles in omnibus scientijs controversiæ exortæ sint, pugnant inter se Philosophi, pugnant inter se Astrologi, Politici & Theologi, an Historicis & Chronographis pacè & omnia bene esse putemus? Ad largum ista prosequi in mente non est, ne immenso rerum pelago obruerer; Exempli vero gratia, quam infinitæ sunt apud philosophos opinionones de anima, Alij hanc esse aliquid igneum afferunt, vt Hipparchus & Leucippus, Alij spiritum fervidum vt Stoici, Alij mobilem & atomis insertum vt Democritus, Alij aerem vt Anaximenes, Anaxagoras, Diogenes Cynicus, & Critias, Alij aqucum vt Hippias, Alij terreum vt Hesiodus,
Alij

Alij mixtum ex terra & aere vt Epicurus, Alij ex terra & aqua vt Xenophanes, Alij ex terra & igne vt Parmenides, Alij sanguineum vt Empedocles, Alij spiritum tenuem per corpus diffusum vt Hippocrates. Sunt & qui animã dixerunt esse divinam quandam substantiam; totam & individuum, totam in toto; & totam in qualibet parte: eiusmodi sunt Zoroastes; Hermes Trismegistus; Orpheus, Pythagoras, Emneuius, Plutarchus, Porphyrius, Timæus & divinus Plato. De essentia animæ videtis, quantum inter se dissident, nec minus apud se; de animæ sede dissentiunt; Hippocrates esse in cerebro, Democritus in toto corpore, Epicurus in toto pectore, & Alij infiniti aliter sentiunt: quòd si quis omnes philosophos in vnum congregaverit, de hac re inter se constare non poterit. Eadem inter Astrologos, Politicos, Theologos & omnes alias artes & scientias controversiarum confusio est, hæc tantum adduxi, vt ex his tanquam à pede Polyphemi more geometrico quæ sunt reliqua cõiectura consequi possis. Sed fortasse dixerit mihi hic aliquis, de rebus his non posse non esse controversias quæ in mera opinione consistunt, de rebus verò gestis secus esse, fateor; veritas tamen in vtrisque vna & eadem est. Hic vanis quorundam opinionibus occurrèdum est, quorum alij ex malitia, alij ex ignorantia leges nostras municipales taxant, pro eo quod certitudinem in se nõ habeant, qui si ad hæc quæ de alijs scientijs dixerim, animum adducant, errorem

rorem suum, etiam me tacente, facillimè agnoscant. Quandoquidem hæc quæ obiter potius innuendo, quam curiosius exquirendo tractare decreverim, apud omnes in literis versatos trivialia sunt, & quæ nisi tantum illustrationis ergo ad nostrum hoc propositum multum, non pertinent, missa faciam hæc, ne in re tam perspicua nimia verborum superfluitas lectori (vti plerumque solet) pariat fastidium. Redeamus itaque, vnde paululum digressi sumus, ad Galfredum nostrum Monemuthensem, videamus tandem si historia hæc quam tantum ille è Britannico sermone latinè reddidit, satis in se authoritatis habeat, an aliorum Authorum Testimonijs indigeat. Qui in nostras partes inclinant, ab ipso Galfredo tanquam à primo fonte quicquid adferunt Argumenti, deducunt: qui dissentiunt, præter coniecturas, parum pro se habent, nam aliam historiam non producant; sed vt facilius est denegare quam probare, ita levioris est nobis negotij ita negantibus non credere, quam in quo dissident, investigare. Mea verò sententia, in æquo est vbi quis silet, ac vbi, quod negavit, non probauerit; Nam ad historiam huius Antiquitatis refutandam, non satis est quod ipse Pythagorico more dixerit, aut negaverit, nisi etiam solida ratione per tractum temporis, & longam antiquitatis seriem (quod paucis contigit) historiarum huius veritatē deducere possit. Ego omnes propemodum authores tam antiquos quam moder-

nos

nos qui de hac re scripserunt (liceat mihi sine Arrogantia id dicere) perscrutatus sum, neminem vero apud omnes, præter Galfredum, inuenio qui huius provinciæ molem susceperit, donec ad Gulielmum nostrum Camdenū virum omnī literaturæ genere perpolitum peruentum est: qui mira quadam scribendi dexteritate historiam hæc Britannicam è tenebris tanquam postliminio vèdicauit. Scripsit fateor, Gildas cognomēto sapiens epistolā quandam de excidio Britanniæ natus anno ab incarnatione Domini quadringentesimo quadregesimo nono, & à primo Saxonum aduentu quadregesimo quarto. Post hunc venerabilis Beda historiam quandam ecclesiasticam de gente Anglorum composuit, vtrique pro tempore illo scriptores doctissimi fuerunt, quorum prior in vitijs reprehendendis, posterior in miraculis recitandis multum laboravit, neuter eorum cum temporibus retroactis à Bruto ad Iulium Cæsarem quicquam habet commercij, exinde vero Britannix pauca sed variè & tumultuanter summis quasi labris attingunt. Post hos emergit quidam Gulielmus Neiobrigensis, qui de rebus Anglicis quinque libros scripsit, de Britannicis vero nullum. Vixit hic in diebus Regis Anglorum Iohannis annos circiter quinquaginta, post Galfredum nostrum, vir certè ingenij satis acuti, sed profundioris malitiæ fuit, In Momimethensem totis viribus acerbissime invehitur, quidquid habuit in se veneni, vel alibi acquirere potuit, in illum

lum lingua venenata expuit. Quæcunque enim de gestis Arthuri, & Merlini vaticinijs scripserit Galfredus, ipse vt fabulosa & cõmmenta rejicit, in huius tamen confutationem nihil præter nudam suam opinionem, idq; in proæmio, nõn historice adfert. Ectquid demũm hominem hunc ita tantum furõrem impulerit, vt in patrios ita mingeret cineres, plane nescio: De eo vero, quid alij sentiant (vt meam opinionẽ silentio præteream) paucis tibi Lector narrabo. Graviter hunc Lelandus reprehendit, quod tam acriter & calumniose cum Galfredo Mommiethensi etiã mortuo decertarit; Idẽ testatur Baleus hijs verbis, * In hunc iniquior fuisse existimatur Gulielmus Newbrigen-
 sis, Polydorus vero Virgilius ingratus, vtpote qui in historia sua cõpilanda, vt plurimum Galfredi Testimoniũ vtatur. Addit præterea Baleus Galfredum nostrum virum pro illõ seculo non ineruditum historiam hanc e Britanico in sermõnem latinum trãstulisse, & propterea in interpretem debacchari iniquum esse, * sed ne demus illud quod Newbrigen-
 sis; (licet admodum iniuriose) nobis insinuare velit, non fuisse omnino Arthurem; aut nõ qualem in historijs præditum est hunc extitisse, vt altius huius rei indaginem non petamus; testes adhibeamus Candenum nostrum, Lelandum, Priscium; Basinstochiũ, Theodorum Clevium, & Iohannem Magnũ Gothum Archiepiscopũ Vpsaliensem, in Gothorũ Sueonumque historia, atque adeo infinitos alios au-
 G thores

thores, qui ad vnum omnes fuisse Arthurum indubitanter asseverarunt, alij heroem prænobilem, alij Regem invictissimum: alij sua gesta, alij suam magnificentiam decantarunt: Adeo ut Archiepiscopus Vpsaliensis, licet ipse Gothus, Arthuri victorias admirabiles de Daciis & Gothicis in historia sua Gothica magna cum admiratione confessus sit. sin verò in prima historiarum huius editione quædam fortassis creperint, quæ (ut Newbrigenensis acriter contendit) fidem aliquantulum excedant, à prima tamen editione Author (si opus fuerit) erroris sui veniam habet. Quemadmodum enim in vitibus aliquid semper est redundans, quod amputari possit: sic in historia quamvis accuratissimè scripta, semper aliquid erit, quod addi vel adimi potest. scribunt enim vario more plerumque omnes (ut cuique est ingenium) alius dilatando, alius perstringendo. Alius rei veritatem, ad amissim enucleando observat, & ad hoc religione qua tam se astrictum esse existimat, alius opinionem suam adiungit, & rei puritatē phaleratis suis verbis adulterat. Alius laudat, alius taxat, alius asserit, alius negat, utcumque autem scripserint, eò necessitatis, & miseriarum (ut ita dixerim) processerit, ut omnem pæne scriptorum fidem, ex lectorum opinione & credulitate mutuentur; Quoniam verò de veritate huius historiarum iam agitur, in eius rei disquisitione, primum quod contradici poterit refellendū, deinde, quibus poterit Argumentis, id quod as-

sum-

sumpsero, approbādum est. Propterea dabo operam (quantum in me est) vt huic controversiæ, quæ varijs opinionib⁹ huc & illuc fluctuantibus, longè latèq; agitata est, finem aliquem, in quo lector se reponat, cōstituam. Post Newbrigensem prodierūt alij fortassis eum imitati, qui historiam hanc in primis radicibus convellūt, & Bruti originē vel omnino tollere vel saltē labefactare cōnātur. vt, quod in aperto est, non taceam, duriuscul⁹ hac in causa mihi videtur Iohānes Wheathamstedas, Abbas sancti Albani, qui totum hunc processum de Bruto (vt de more suo loquar) poeti- cū esse potius, quam historicū asserit. Quāto modestius fecisset Is, si quæ sciret, dixisset potius se arbitrari, quā quæ nescijt tam cōfidenter affirmare. Silvium Bruti nostri patrem, Ascanij filium fuisse negat. Titus Livius historiarū princeps, homo in hac scribendi arte parum ignarus, & qui ad ea tēpora aliquantulum propius vixerit, decadis suæ primæ folio secundo (nam ob signatis tabulis agam tecum venerande vir) luce clarius id affirmat: vtri horum fides adhibenda sit, aliorum esto iudicium. Id certè vir tam eruditus, & præsertim de hac re scripturus, ignorare non debuit. Sunt vero qui aliquando libentius ignorant, vt liberius peccent: si eo animo fuerit is, ignorantix suæ veniam habet, non malitiæ. Si tamen in re tam perspicua claudicaverit, verendum est, ne in rebus magis obscuris etiam cæcutiat: Quidquid ergo in Bruti nostri deroga-

tionem venerabilis ille Abbas, in suo granario nobis adfert, eiusdem esse farinæ suspicionem admodum inducit. In rebus vero dubiis & à memoria hominum adeo remotis (quis enim rem tam veterem pro certo affirmet) tutius semper est antiquitatis authoritati cedere. Post hunc molestiam nobis infert Iohannes Twinus Bolingdunensis in commētarijs suis de rebus Albionis, Britannicis, atque Anglicis, Ille Insulam hanc Britannicam fuisse quondam Galliarum continentis partem & peninsulam confidenter affirmat, & coniecturas suas projicere nō dubitat, fuisse quendam hinc Isthmum, latitudinis circiter quinque passuum, nempe quantum abest Fulstanum Cantij oppidum à portu Rutupino qui nunc Dover dicitur, per quem (vt inquit) siccus exhinc in Galliam sine navigijs transitus patuit, sicut ex Italia in Siciliam, & Syria in Cyprum, à Calpa monte in Hispania, ad Abylam in Africa quondam fuisse, ac hodie ex reliqua Græcia in Pelopōnesum esse proditum est: Durasse Isthmum hunc, donec tandem crebro maris impulsu, & continuis fluctibus exesus & penitus absorptus fuerit, unde ab authore isto infertur, (sed qua ratione non video) Insulam hanc post Isthmi huius avulsionem à Gallia, ante eversionem Trojæ dictam fuisse Britanniā. quod si ita sit, aliundè quam à Bruto denominari Insulam hanc multis Argumentis contendit, credat Iudæus apella, non ego, quid sibi vult Britannicum illud vocabulum
(Brit)

(Brit) quod toties nobis inculeat Troinus, vnde Britanniam sive à colore terræ, sive post Isthmi abscissionē, ab affinitate alterius vocabuli (guit) æque barbari deducere velit, planè nescio, nec ignorantiam meam agnoscere erubescō. vtcunq; verò sibi placet Author verbis istis peregrinis & inconsuetis (vti certè etymologia lōgè petita est) ingenuè tamen fatetur se ab alijs Britannicæ linguæ gnaris accepisse vocabuli huius significationem, & proinde quidem hoc addit, ne fortè invenisse suspiciatur: Qui tandem sunt illi Britannicæ linguæ gnari? quī constat fuisse apud Britannos huiusmodi vocabulum? aut si fuerit, sensum hunc habere, aut si habuerit, quid quæso ad hoc propositum facit? vereor ne mea in hac re ignorantia quæ plerunque valde credula est, curiosior sit quam par est. Miror tamen Troinum tam nobilē Regni initiatorē, qualis erat Brutus, abdicare, & tanquam è cælo in Synagogā prolapsū, à terra, limo & luto, à rebus stramineis, faxcis & paludosis nomen patriæ imponere. Denominantur fateor interdum regna à fluvijs vt Iberia, quæ nunc Hispania est, ab Ibero fluvio, & India ab Indo, & alia alibi! sæpius vero fluvijs. vrbes & regna à personis nomen auspicantur. Ex fluvijs, Humber noster ab Humbro Rege, Sabrina fluvijs à Sabrina filia Estrildis; apud Romanos Tyberis à Tyberino ibi submerso celebre apud posteros nomē accepit. Ita de vrbibus, Roma à Romulo, Constantinopolis à Constantino, Lavi-

nium à Lavinia Latini filia; In regnis & provin-
 cijs forum Iulium ab Iulio, Latini à Latino, vt
 Livius habet, & Dardania à Dardano nomen
 sortita sunt. Huius autem vsus apud omnes
 gentes adeò frequens est, vt non opus sit a-
 lia exempla hic recensere, ne candelam soli vi-
 deat accendere. Tantum enim prævaluit no-
 minum ista impositio, vt etiam cum hæreticis &
 malignis locum obtineat. sic Donatistæ à Do-
 nato, Arriani ab Arrio, Manichæi à Mane,
 Novatiani à Novato, Ebionitæ ab Ebione, Ne-
 storiani à Nestorio nomen habent. Apud mor-
 tales enim nõ est aliud vinculum efficacius, quod
 animos hominum & morès magis coniungat
 & conglutinet, quam eadem nominis im-
 positio. Huius rei memorabile exemplum habes
 Li- apud Titum Livium, nec à proposito nostro a-
 niur. lienum erit, hic repetere. Cum primum Æneas
 " in Italiam venit, vbi tunc Aboriginès sub Re-
 " ge Latino habitarunt, post aliquod bellum il-
 " latum * quamprimum Rex Latinus hostes suos
 " Troianos esse audiuerit, & Ducem Æneam fi-
 " lium Anchisæ, dextra fidem futuræ amicitiz
 " sanxit; cædus inter duces ictum est, inter exer-
 " citus facta salutatio. Deinde Lavinia Latini fi-
 " lia Æneæ in Matrimonium data est. Turnus
 " Rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adven-
 " tum Æneæ fuerat, prælatum sibi advenam ægrè
 " patiens, simul Latino & Æneæ bellum intulit,
 " Æneas adveffus tanti belli terrorem vt animos
 Abori-

Aboriginum sibi conciliaret, ne sub eodem iure solum, sed etiam nomine omnes essent, vtramque gentem tam Trojanos quam Aborigines Latinos appellavit, nec deinde Aborigines Trojanis studio & fide erga Regem Æneam cessere. * Tantam apud eos fuisse communis appellationis vim intelligimus, & apud nos futuram speramus, si tandem ex Anglis, & Scotis Antiquo nostro nomine resumpto & recuperato Britannii denuò appellabimur. sed de hoc obiter, ad nostrum institutum revertamur, ad eos scilicet, qui Brutum nostrum fuisse nolunt. In ore enim omnium est, an Brutus fuerit, necne! Deus bone! quid hodiè in controversiam non vocant isti dubitabunduli? In comitijs, in convivijs, in conventiculis, etiam in tetrastichis de hac re disputatur. quid tandem de his Brutus, vel Britannia male meruit, ut certam his originem esse non sinant. Dicent vero hi se non suis solum opinionibus insistere, sed & doctorum quorùdam dogmata ad opinionum suarum fulcimentum posse se producere: ut, Had. Junium, Buchananù, Vivem, Polydorum, Bodinum, & alios summo ingenio viros, qui hac in re hæsitârunt, omittam, Candenum nostrum qui certè mihi instar omnium est, nobis vrgent, cuius ego in indagando industriam, in discernendo iudicium, in explicando elegantiam uti non possum non agnoscere, sic eius opinioni præ reliquis

omnibus libētissime velim subscribere, nisi temporum antiquitas, & antiquitatis autoritas, nisi tot urbium & Templorum monumenta à Bruto, & posteris suis fundata, tot flumina de eorum nominibus appellata, nisi deniq; omnium pæne consensus aliàs, me avocaret. Reliquis tamen multo moderatius in hac causâ sese gerit noster Candenus, qui Brutum huc advenisse non negat, de gentis vero denominatione à Bruto, cum alijs doctis aliquantulum dubitat. Ego (salva sua venia) utrumque affirmo. Duo vero sunt, quæ animum meum ad hoc præcipuè iuducunt, aliud à generali historiarum consideratione sumptum est, aliud à particulari. A generali, sic. Quis de historijs acerbius & virulētius scripsit quam Cornelius Agrippa in libro suo de vanitate scientiarum, vbi * cum Troiana illa Hecuba se in canem versum esse affirmat, & (ut ex ore suo loquat) nil amplius meminisse nisi mordere, oblatrare, maledicere, conviciari. * Ille cum in historiarum tractatu taxaret historiographos, qui cōfictis Argumentis fabulosis describerent historias ut sunt illa Morganæ, Margadonæ, Melusinz, Amadisi, Florandi, Lanceloti, Tristami, & id genus alia, num de Bruto nostro quicquam habet subtilissimus iste historiarum rimator? ne verbum quidem; si tamen fictum id fuisset, & nothum, censuram suam proculdubio non evasisset, nec iudicium suum latere potuit, quod ob gentis huius originem ad eò celeberrimum fuit. In particulari,

quis

quis de historia nostra Britannica magis petulanter, & contumeliose scripserit, quam Newbri-
 gensis, qui Arthuri gesta, & Merlini vaticinia pro
 fabulosis ducere non erubescit: in omnibus vero
 inuectivis suis, in quibus nimirum nihil omisit,
 quo vel historiam ipsam, vel Authorem corro-
 dere poterat, in Brutum tamē nihil habuit quod
 obijceret; vnde inferri potest, quod si hi qui de
 industria, & aquilinis oculis (vt invidia valde per-
 spicax est) omnia perlustrassent, nihil tamen in
 Bruti detrimentum, ex omnibus historijs expi-
 scati fuerint, alijs tardius credendum esse, qui for-
 titu, obiter & tanquam aliud agentes ad hæc ac-
 cedāt, an suo ducti iudicio, an aliorum secuti do-
 gmata, non moror, nedum exoptulo; vt vero
 sunt, qui huic historiæ aliquid molestiæ exhibere
 videntur, sic & sunt quam plurimi, ijque doctis-
 simi, qui historiam hanc, & Authorem totis vi-
 ribus defendunt, & summa efferunt laude. vt Ba-
 singstochium hac de causa egregiè meritū, Theo-
 Cleuium, Lelandum, Iohannem Priscam, Hum-
 fredum Lhindum, & alios apud nos modernos
 authores & Chronographos non contemnēdos
 sicco (vt aiunt) pede transeam. accedamus tan-
 dem ad *Ponticum Virunium*, virum scælicissimi in-
 genij, & studijs doctrinæ, nulli suæ ætatis secun-
 dum, qui commentarios in Virgilium, Ovidij
 Metamorphosin, Statij, Achillaida, Claudianum
 & alia plurima scripsit, vixit sub Ludovico Sfor-
 tia, patria Tarysinus, Is in gratiam Badoeræ cla-

rissimæ Venetorum familiæ, ex Britannis olim
 oriundæ, sex priores Galfredi Monumethensis
 libros in epitomen contraxit, de quo hoc te-
 stimonium tulit Galfredus historicus egregius,
 & Cardinalis, magnæ vir autoritatis apud Ro-
 bertum Claudiocestriæ ducem, Henrici Regis fi-
 lium, patriæ suæ curiosissimus fautor, ex summa
 philosophia, atque archivis regalibus historiam
 antiquissimam, continua serie ab ipsis Trojanis
 collectam transtulit. verissimas esse Britannorum
 historias arguit Regum occidentalium consue-
 tudo, quæ erat secum semper habere eos qui ve-
 ritate præcipua eorum gesta notarent, hæc Pon-
 ticus Virumnius. Illi autem adstipulatur Badius
 Ascensius, & Ivo Cavellatus; utrique viri docti,
 uti videre est in Ascensij editione, ubi in huius
 historię frontispicio sic habet. * Quia à maio-
 ribus nostris sæpius intellexeram (vir circumspe-
 cte) ipsos à Trojanis originem habuisse, dirutaq;
 Troja, eorum partem Italiam petijssse, partemque
 ad Græciam sub Pandrafi Græcorum Regis pote-
 statem missam fuisse: Bruti tamen tandem strata-
 gemate & virtute (qui Italiam petierat, à qua exu-
 lans Græciam adivit) liberatam Græcorū servitu-
 tē exuisse, & ad Albion, quã postea Britanniam à
 Bruto, & à seipsis Britonibus vocatã voluere, ve-
 nisse, quam & Angliam ab Anglis sive Saxonibus
 eam nunc occupantibus dicunt, ab ipsa tamen a-
 liquando (si Merlini prophetijs fides adhibenda
 est) exterminandis: tantus me invasit ardor atque
 scisci-

sciscitandi aviditas, an videlicet ea quæ vulgo
 prædicabantur vera forent (dicebant enim di-
 vum Gildam & venerabilē Bedam ipsorum præ-
 clara gesta & facinora scripsisse, quod & Galfre-
 dus huius historię Author testatur) cum me quã-
 doque in Bibliothecam Collegij Corisopitensis
 Parrhisijs siti, nonnullorū librorum visendorum
 gratia contulissē, libellū quendam, historię Re-
 gū Britannix nuncupatū, situ & pedore squalen-
 tem atq; horridum repperi, q̄ diu desideraveram
 continentē: repertura, dij boni, quanto animi af-
 fectu iterū atq; iterū legi & perlegi, quanta obser-
 vātia habui, nec ab re, cū ex illo mihi patuerit hi-
 storia, quæ prius fabula videbatur: vnum tñ mo-
 leste ferens, quod tam præclarus liber tot & tan-
 ta strenuissimorum principum gesta præclara cō-
 tinens, plurimis sanctis & religiosis viris appro-
 batus, tot mendis atque erratis contaminatus
 fuerit, vt vix ipsum quispiam intelligere quive-
 rit. Quapropter de huiusce historiæ iactura, at-
 que deiectione condolens, huc & illuc per multas
 huius gymnasij Parrhisiensis discurrēs bibliote-
 cas tres alios cōmentarios superiore nomine nū-
 cupatos inveni, duos videlicet in cœnobio sancti
 Victoris Parrhisiensis, alterū sc. in eorū bibliote-
 ca, vetustissimis characteribus scriptū, alterū vero
 p̄anes reverendum in Christo patrē & dominum
 Abbatem dicti cœnobij, quem pro seipso scribi
 fecerat, magnoq; observabat cultu, & in eorundē
 bibliotheca catena ferrea, inter chronica affixū.

» hos simul inventos subinvicem contuli, collato
 » (vtrunque) castigavi, castigatos imprimēdos cu-
 » ravi. Nihilominus cum tot & tanta in ipsis adhuc
 » dissidia reperirem, tumque à nemine hætenus
 » castigati, tumque propter Authoris antiquita-
 » tem scriptorum errore viciati essent, ipsum con-
 » summatum virum Iodocum Badium Ascensium
 » in hac re consulere, ipsumque gratum ire decrevi,
 » quod si aliqua scabra nimis atque inculta in dicta
 » historia offendat, (præsertim quæ ad sententiam
 » intelligendam difficultatem adderent) vt suos, &
 » quidem pios obeliscos in eam mittat, nihil addē-
 » do, nihilque abijciendo quod sententiam variet
 » aut pervertat. Quod siquidem (vt credo factu-
 » rum) fecerit, Britones omnes æquum amantes,
 » præsertim generosi, qui se à tali sanguine autu-
 » mant generatos, ipsi in ævum sese esse obnoxios
 » sciant, & agnoscant, cuius opera & accuratione,
 » tam fœcunda historia, tam præclara facinora ab
 » eorum atavis cōtinens in lucem veste recente in-
 » duta solito clarior, intellectuq; facilius veniat. *
 Hæc in vetustiore huius historię editione verba-
 tim habet Ivo Cavellatus, (nihil enim mei hic in-
 texo.) Si Galli tanto cum labore historiam hanc
 Britannicam investigarunt, si repertam tanta cu-
 ra promulgarunt, si promulgatam tanta obser-
 vantia vsque ad hodiernum diem amplexati sunt,
 quid ipsi quæso faciant Britanni? ingrati si reie-
 cerint, infælices si amiserint, malitiosi si detraxe-
 rint: Qualiter in hac causa affecti sunt alij moder-
 niores

miores nostri authores & Chronographi Hollingsedius, Hallius, Hooperus, Storus, & iam pridem Claphanius de literis certè bene meriti, quos ne prolixior videar quam par est, de industria iam prætermitto, in animo non est hic referre. Hoc ausim dicere, in paucis aliquos, in omnibus nullos à nostro Monumethensæ prorsus discrepare.

Quid vero animum meum ad opus hoc induxerit, post tot egregios viros, omni literaturæ genere splendidissimos, inter tam acutos, sedulos & indefatigabiles antiquarios, & profundos rerum indagatores, quos ætas hæc nostra felicissimè produxerit, qui ad veritatem è tenebris eruendam summis exantlatis laborib⁹ hac in arena præcipuè defudarunt, quid inquam me ad munus hoc obcundum invitaret, alijs negotijs occupatum, & in rebus istis antiquarijs (vt ingenuè de me fateor) minus versatum, mireris fortassis, Lector benevole, At ego, qua ratione id fecerim (si otij mei ratio reddenda sit) dicere non effugiam. Cum primum in historiam hanc Britanicam fortè fortuito inciderem, cœpit me fateor magnū quoddam legendi hanc desiderium, ac (vt in historijs legendis sæpe fieri solet) mihi visus sum authorem nescio quū deligere, & amplecti, cuius cura, studio & solertia effectum est, vt post tantam annorum seriem, inter tot rerum, temporū, & principum vicissitudines, & tempestates, hæc Antiquitatum monumenta, naufragium nō fecerint. Si quando à gravioribus studijs, & negotijs forē-

sibus,

sibus, quibus professione mea debeor, tēpus mihi vacaret, temporis id, quod alij animum relaxādi gratia, ad ambulandum, alij ad equitādum, alij ad venandum, alij aliter, pro suo cuiq; arbitrio, à severioribus negotijs lucrati sunt, ego cui ad hæc voluptates rerum facultas parum suppeditat, vt studia mea severiora, alijs lenioribus studijs mitigare possim, ad historiam hanc sæpe me contuli. Et vt frequens huius lectio altiores in me radices ageret, versus subinde hac de re factitavi, vt quam minimo poteram temporis dispendio, tempus mecum contererem. Dum verò hac in re varijs dierū vicibus lentè & pedetētim tantillos progressus fecerim, cœpi apud me cogitare, num ludicra hæc quę ego succisi vis horis oblectādi potius, quā proficiendi gratia cōposui, succi aliquid in se habeant, quod in publicum prodesse poterit. In bivio hæsitabat animus, an meos hos furtivos labores qui in manipulum fati amplū iam excreverāt, prælo cōmitterem, vt divulgentur, vel scrinio meo, tinea & blateis devorādos, vt delitescerent: vicit tandem publica patriæ meæ ratio, & amicorum quorūdam detiderium, quibus cū magna mihi intercessit familiaritas, vt patriæ meę cui (quantus quātus fuerim) totus debeor, & amicis quibus hoc in officio deesse nō debeam, morem gererem. Exinde disticha quædam, & tetrasticha, in quibus historiæ huius argumenta breviter cōtraxerā, fusius aliquantulū carmine nostro tractavi, vt maiore inde historiæ lucem cōferre possim.


Cum

Cū vero opus hoc, qualecunq; fuerit, rudi nostra Minerva exarasset, venit mihi in mentē, quanta sit de hac historia opinionum varietas, ꝓinde nō abs re fore mihi putavi, authores aliquot, quotquot pro temporis breuitate potui, evolvere, & quicquid ex his legendō expiscatus fuerim, vobis (Lectores benevoli) in mea hac cōclusionē Apologetica fideliter tradere. parcius tñ (vt in alienis hortis ambulātem decet) flores excerpfi, eos vero qui ad veritatē huius historię confirmandā maximē conducāt seligere curavi: Qua in re, si quid (vt vereor multa) omiserim, spero nō deesse alios, qui ꝓ patrię suę amore, meis his primitijs succēturiare velint. Aliorum erat labor historiam hanc è tenebris & squallore eruere, mihi tantum curæ fuit (q̃ tamen facilius est petere quam sperare) à controversijs hanc liberare. Nec mihi vitio verti debet, si ego in huiusmodi negotijs parum exercitatus, peregrinus ad hæc accesserim, quia in litibus dirimēdis arbiter is idoneus est, qui neutri partium affinitate vel amicitia coniunctus fuerit: immo si veritatis studio, & sine cuiusquam præiudicio id fecerim, veniam mihi facile impetrandam esse spero. Quid de hoc quisque sentiat vel susurret, nolo coniectura venari, quippe qui satis exploratū habeam, nihil unquā tam limatum, tamque ad vnguē (vt dicitur) quadratū fieri posse, q̃ alij ijq; docti nō convellent, de malitiosis. n. non loquor, q̃ dēte Theonino omnia corrodūt Nōne Aristotelē, Boetium, Virgilium & Ciceronē taxat Lau-

rentius Valla prout ei in inuectiuis Poggiius vituperio obijcit. Nonne Angelus Politianus in Miscellaneis suis errata omnium authorum, Cornelius Agrippa omnium artium & scientiarum rimator, quod cum ita sit, non me multum gravabit aliorum de me sententia, quæ si iusta fuerit, sciant tamen quod in multiloquio facillimum sit errare, si iniusta, velim & hoc sciri quod si quis ex usu vel malitia liberam maledicendi licentiam sibi assumat, eam male audiendo amittat. Illud Erasmi ante oculos mihi propono, quod si meritis cuiusquam fama maligne responderit & clanculum obsibilaverit livor, illud demum animi vere sublimis & invicti fuerit documentum, nihilo seignius vel maximis suis incommodatibus aliorum consulere commodo. Nam (quod Aulus Gellius ex Theophrasto habet) parva & tenuis turpitudine vel infamia subeunda est, si in re magna utilitas amico quaeri potest: rependitur quippe & compensatur leve damnum delibata honestatis, maiore alia in adiuvando amico honestate, sicuti magnum pondus æris, parva lamina auri est pretiosius; sic (quomodo mihi persuadeo) levis æstimationis nostræ iactura admittenda est, ut maius in amicos vel patriam commodum conferatur: Qua in re Numen immortale imitari decet, ad quod cum nulla gratia, nullum officium à nobis redire queat, nativa tamen genuinaque bonitate solis in morem omnibus gratis & ingratibus, dignis iuxta atque indignis suam impertit munifi-


nificentiam, hunc vnum expectans fructum, vt
 quam plurimos sui participes efficiat. Vt cun-
 que vero de nostris his Britannicis, æque vel inique,
 senseris (Lector optime) nihil impedit, quo mi-
 nùs legas, & subinde rumines & recorderis; Si
 quid autem bene in se habent, id totum tuum est,
 si male, mihi, quicquid id fuerit, imputetur. E-
 vero est historiæ huius varietas, vt nec multùm
 hanc placere promittam, nec displicere metuam.
 Proinde (Lector) si quædam legenti tibi occur-
 rant, quæ palatum tuum forte offendant, & quæ
 primo gustu abijcias, vel nausea quadam expuas,
 alia tamen fortassis insunt, quæ (ni fallar) vsque
 ad iâtiètatem te delectent. Quod vt de his spero
 (nam quod volumus, facilè speramus) ita de hu-
 manitate vestra (si aliquâtulum mihi blan-
 diri liceat) non omnino despero. Va-
 le, Londini ex ædibus Interioris
 Templi, 16. Februarij,
 Anno 1606.

Traſtatus Apologetici
Finis.



AUTHOR AD
LIBRVM.

Hic neq; Delphinū sylvis, nec fluctibus aprū
pingo, sed, ut fuerant singula gesta, cano.
Ne videar vanus, verba ambitiosa recidi:
historiam verè tradere, cura fuit.
Ut neq; me taxet præsens, ævum ve futurum:
lectorem penes est credere, necne, fides.
Vade, nec horrescas quocunq; vagaris in orbem;
fortè superstes eris, me moriente, liber.
Nec metuas, de te quid dixerit iste, vel ille:
Arbitrij dominus stat sibi quisq; sui.
Attamē (ut poteris) vanos fuge, quere modestos:
Hic amat, hic forsā spernit, uterq; legat.
Ut prosis alijs, labor est, non ut tibi prosint:
neglige te, tibi sit cura placere alijs.



1233. 7

7

90 3694











MC

